# DISSERTATIONES ACADEMICAE SELECTAE, OLIM IN ACADEMIA TOLOSANA...

Jean Gisbert, Acosta

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
19 D
13 / 1

4 40

# DISSERTATIONES
# ACADEMICÆ
# SELECTÆ,

OLIM IN ACADEMIA TOLOSANA

PRONUNCIATÆ

*A R. P.* JOANNE GISBERT,
*Societatis* JESU *Theologo, & in eâdem Academiâ Regio Theôlogiæ profeſſore.*

AB EODEM NUNC REPRÆSENTATÆ
Ad ornatum Chriſtianæ Theologiæ
CUM HISTORIA ECCLESIASTICA
Novâ methodo ſociatæ,
*CUJUS NUPER ORGANUM*
TRADIDIT.

BIBLIOTECA NA ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud STEPHANUM MICHALLET, Regis Architypographum, ſub ſigno Sancti Pauli, prope Fontem Sancti Severini.

M. DC. LXXXVIII. 4.

*CUM PRIVILEGIO REGIS.*

VENERANDIS

ACADEMIÆ TOLOSANÆ

# PATRIBUS

VENERANDI *ACADEMIÆ PATRES*

*Quaſcumque tandem vobis diſſertationes repræſento ; ut locupletes noſtræ in vos obſervantiæ teſtes ; inſcribo* Academicas. *Nam quo alio nomine appellem, quas memini coram Academiâ*

*pronuntiatas, & vobis faventibus, non ſine aliquo plauſu, fuiſſe exceptas.* *Nec nimis, credo, inſolens eſt,* Academicas *dici, quæ ſunt omnes authoris jam Academici, & in Academiam veſtro munere cooptati. Ex quo enim Academiæ inſitus ſum, quæcumque ex me veniunt, in Academiæ fundo naſcuntur, ipſâque naſcendi conditione ad Academiam pertinent: quæ verò gratiam iſtam anteceſſerunt, eadem tamen, effectu quodam retrogrado, cooptatio ſuperveniens Academiæ tranſcripſit. De veſtro igitur,* (*PATRES* ACA-DEMIÆ *VENERANDI*) *de veſtro munificus ſum, non de meo; nec tam vobis donare me putem, quàm reddere. Atque ut in illum Pſalmiſtæ*

Pſalm. 15. *verſiculum.* Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges *pulchrè ajebat Auguſtinus, Deum omnium bonorum authorem ne ipſâ quidem hominis juſtitiâ egere, idque to-*

*tum, quo rectè colitur Deus, homini prodeſſe, non Deo. Dico ego pariter, Academiam venerandam, opulentiſſimam illam ſcientiarum omnium parentem, nihil egere lucubrationibus meis; & lubens agnoſco, qualecumque eſt munus iſtud, quod offero, de fonte Academiæ profluens, & ad lucem Academiæ elucubratum, mihi magis, quàm Academiæ, profuturum.* Neque enim fonti ſe quiſquam dixerit profuiſſe, ſi biberit, aut luci ſi viderit. *Sed qui nihil Academiæ donare poſſum, referre tamen debeo, quod ab Academiâ accepi, & plùs aliquid meriti erit reddidiſſe, quàm accepiſſe. Nam quòd accepi, gloria donantis eſt, & commendatio quædam accepti: quòd verò acceptum refero, æquitas eſt, & gratitudo referentis. De Academiâ ergo, fateor, nec ingratus accepi: æternùm memor ero undè acceperim, indicabo omnibus perennem ſapientiæ veſtræ fon-*

*Lib. 10. de Civit. c. 8.*

*tem, undè hauſi; hoc ipſum, quod hauſi, eâ indicatione ſatis commendaturus. In Diſſertationibus meis prædicavi paſſim Academiam Toloſanam Sorbonæ non indignam ſororem; & ne prædicatio iſta pereat,* quis mihi det, ut

Job. 19. ſcribantur ſermones mei, & exarentur in libro ſtylo ferreo: *laudes enim veſtras ſatis non eſt mandare verbis volantibus, aut perituris aliquandò chartis committere. Sed ſtylum ferreum quid deſidero, aut tabulas ſeu æreas,*

2. ad Cor. 3. *ſeu lapideas?* Qui in tabulis cordis carnalibus, *ut cum Apoſtolo loquar, hoc eſt in intimo & immortali animi ſenſu, monumentum ære perennius vobis jampridem excitavi.*

*VENERANDI ACADEMIÆ PATRES,*

Veſtrûm omnium humillimus & obſequentiſſimus in Chriſto ſervus,
JOANNES GISBERT è Societate JESU.

## LECTORI THEOPHILO.

IN veſtibulo Reginæ ſcientiarum præſtolaris, credo, moræ impatiens, *optime Theophile*, avidéque expectas, dum te in palatium introducam. Sed expecta, quæſo te, & reexpecta adhuc modicùm aliquantulum. Lentum ego lectorem & ruminantem volo; Doctorem tu ne quære præcipitem. *Organum novæ Theologiæ* ſi ſemel legiſti, iterùm lege, & quæ legeris, diu multúmque meditare: eſt enim in eo, ſi auſim dicere, quod de ſcripturâ ſimpliciſſimâ dicebat Auguſtinus, *ſuperficies blandiens parvulis, ſed mira profunditas, Deus meus! mira profunditas.* Ipſa tibi perſpi- *Lib. 12. Confeſſ. c. 14.*

cuitas, ni cavebis, illudet: apparebit totus in ſuperficie fundus, propter aquæ nitorem; ſed non niſi altâ meditatione fundum tenebis. Quòd ſi te lectionis repetitæ, aut longioris meditationis faſtidium capiat, pro faſtidio levando, & fallendâ morâ temporis, ecce intuere, ſi lubet, ſplendidas imagines pro foribus ſtantes, aut in atrio Theologiæ circumpoſitas; ſelectas intelligo diſſertationes quaſdam Academicas, quas novo Organo noſtro addere placuit, & in ipſo Reginæ ſcientiarum veſtibulo collocare. Atque hujuſce conſilii mei ratio non una eſt. Primùm enim Academiæ Toloſanæ, cui tot nominibus obligati ſumus, eoque præſertim, quòd nos in corpus ſuum nuper admiſit, tributum grati animi publicum, utcumque perſolvam;

cùm venerandis Academiæ Patribus eas Diſſertationes repræſentabo, in quibus paſſim occurrit, & magnifica prædicatio Academiæ, & ipſius in nos meritorum grata commemoratio. Deindè verò author Theologiæ Chriſtianæ cùm Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ novâ methodo ſociatæ, eâ ſaltem ex parte probari tibi poterit, *optime Theophile*, quòd videbitur ipſe non omninò novus, ſed per omnes litterariæ militiæ gradus exercitatus; non de umbrâ aut eremo prodire, ſed de celeberrimâ Academiâ; nec in occulto aut in tenebris loquutus, ſed palam, in magnâ luce, & in frequentiſſimâ ſcholâ multis abhinc annis docuiſſe. Undè rationabilis præſumptio fiet Doctrinæ ab omni labe puræ, & minimè ſuſpectæ; quæ, tamdiu, tanto audientium, concurſu excepta, toties tranſcripta

diſcuſſa, agitata, reputari jam poſſit, *argentum igne examinatum,*
Pſalm. 11. *probatum terræ, purgatum ſeptuplùm.* Accedet denique ipſi Theologiæ commendatio idonea, ad diſcendi ardorem excitandum. Simul enim ut apparuerit Regina ſcientiarum, per iſtas Diſſertationes veluti *per feneſtras & Cancellos proſpiciens*, primos, ut ſpero, ſui amores excitabit, conſummatura, cùm ſe totam monſtraverit. Nec te movere debet, optime Theophile, quòd Diſſertationibus noſtris, unam oratoriam, Philoſophicam alteram inſeruerim. Habet enim Theologia Liberales Artes in famulatu ſuo, eáſque ut ancillas non inutiles, dummodò bene moratæ & caſtigatæ fuerint, quales ipſemet, ſi Deus dederit, ei aliquandò procurabo: mihi enim cordi eſt non ipſa ſolùm Regina,

ſed tota familia ejus. In Diſſertationibus Theologicis iiſdémque Hiſtoricis, placere quidem incipiet Theologiæ & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ jucunda ſocietas; ſed plena voluptas non erit, donec quæſtionibus juris quæſtiones facti Theologici novâ methodo tractatæ reſponderint. Academicæ verò Conciones eò fere ſpectabunt, ut intelligas, Theologiam ſolidam ad omnia utilem eſſe, nec minùs in Templis, quàm in ſcholis dominari. Nam etſi plerumque Theologus, qui non idem concionator, nemo tamen Concionator eſſe poſſit, niſi Theologus. Quæ me res, optime Theophile, fortè aliquando impellet, ad evulganga volumina aliquot popularium Concionum, & Theologiam noſtram ſuis etiam fructibus coronandam. Utinam qui dedit velle,

det nobis & perficere DEUS OPTIMUS MAXIMUS, à quo eſt *omne datum optimum, & omne donum perfectum.*

## APPROBATIO.

EGo infrà ſcriptus Sacræ Theologiæ Profeſſor Regius in Academiâ Toloſanâ & Univerſitatis Decanus, ab Illuſtriſſimo Cancellario ad Reviſionem Deputatus, teſtor legiſſe me Librum cui titulus eſt, *Diſſertationes Academicæ ſelectæ olim in Academiâ Toloſanâ pronunciatæ A R. P.* GISBERT *Societatis* JESU *Theologo, & in eâdem Academiâ Regio Theologiæ profeſſore*. In quibus nihil reperi à rectâ fide aut bonis moribus alienum, quin potius exiſtimo illas tantâ cum voluptate legendas ab omnibus quanto cum plauſu auditæ fuerunt. Datum Toloſæ Die 30. Aprilis anno 1687.

CASEMAJOUR Regius Theologiæ Profeſſor & Univerſitatis Decanus.

*Extrait du Privilege du Roy.*

PAR Grace & Privilege du Roy, en datte du 24. Juillet 1687. Signé, BOUCOT, & ſcellé : Il eſt permis à ESTIENNE MICHALLET Maiſtre Imprimeur & Marchand Libraire à Paris d'imprimer un Livre intitulé, *Scientia Religionis univerſa, ſeù Chriſtiana Theologia Hiſtoriæ Eccleſiaſticâ ſociata quæſtiones Juris & facti Theologicas complectens* : & ce pendant l'eſ- de dix années, à peine de trois mille livres d'amende, confiſcation des Exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & intereſts, ainſi qu'il eſt plus amplement porté par ledit Privilege.

*Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris le 20. Aouſt 1687 ſuivant l'Arreſt du Parlement du 8. Avril 1653. Celuy du Conſeil privé du Roy du 27. Fevrier 1665. Et l'Edit de Sa Majeſté à Verſailles au mois d'Aouſt 1686. Le preſent Enregiſtrement fait à la charge que le debit dudit Livre ſe fera par un Imprimeur ou Libraire.*

J. B. COIGNARD, *Syndic.*

# INDEX DISSERTATIONUM

## Quæ in hoc volumine continentur.

Prima. PEtrus Paulo concors, ſeu Diſcordia Petrum inter & Paulum ſalvo utriuſque jure & honore compoſita. *Diſſertatio Theologica.*

Secunda. De Zozimo Pontifice in cauſâ Pelagii & Cæleſtii. *Diſſertatio Theologica.*

Tertia. Defenſio Eccleſiæ in negotio Trium Capitulorum. *Diſſertatio Theologica.*

Quarta. De Honorio Pontifice in cauſâ Monothelitarum. *Diſſertatio Theologica.*

Quinta. De Luca Evangeliſta pro ſtudiorum inſtauratione. *Concio Academica.* In quâ multa explicantur ad Lucæ Evangelium pertinentia.

Sexta. De Sebaſtiano Martyre Academiæ Toloſanæ Patrono. *Concio Academica.* In quâ apparet quò pertineat Academiarum inſtitutio.

Septima. Pro Rege incolumi, ſeu ſoſpite Ludovico magno. *Oratio gratulatoria.*

Octava. De Præcipuo Carteſianiſmi dogmate. *Diſſertatio Academica.*

Nona. Stylus naturæ index *Diſſertatio Academica*. In quâ traditur ars ſanè mirabilis authorem quemlibet ex ſtylo dignoſcendi, & germanos ſcriptorum libros ſecernendi ab adulterinis.

PETRUS

# PETRUS
# PAULO CONCORS
*SEU*
# DISCORDIA
## PETRUM INTER ET PAULUM
ſalvo utriuſque jure & honore
compoſita.

---

## DISSERTATIO THEOLOGICA.

*Cum veniſſet Cephas Antiochiam ei in faciem reſtiti, quia reprehenſibilis erat.*
Paul. ad Gal. 2.

JAM Eccleſia Chriſti felicibus auſpiciis adoleſcebat Apoſtolicis irrigata ſudoribus, jam fideles Diſcipuli magnum nomen ſibi fecerant Antiochiæ; adeò ut ibi primùm Chriſtiani dicerentur, jam *Act.* 11.

augebatur *credentium in Domino multitudo*, creſcebatque in ingentem familiam; cum ecce, ut ferè fit, inter fratres unanimes jactum eſt diſcordiæ pomum, & quibus erat *cor unum & anima una*, armari cœperunt in prælia contentionum. Ut conſtabat duplici gente ſecta Chriſtianorum; nam alii de Judæis venerant, alii de gentibus, alii de Circumciſione, alii de præputio; excitata eſt inter utramque gentem æmulatio, hinc Judæis Gentiles ferè contemnentibus, illinc Gentilibus iniquè ferentibus hunc Judæorum contemptum. Judæos inflabat magnum Abrahæ nomen, ſignum Circumciſionis, inter ſplendorem fragoremque tonitruorum accepta lex, prærogativa electionis ſuæ, & veterum Dei beneficiorum memoria perennis. Contrà vero reponebant Gentiles, & infamiam originis ſuæ abolitam, & antiquam Judæorum gloriam in Chriſto fuiſſe ſepultam; ita ut jam in Chriſto Jeſu, *neque præputium*, valeret aliquid, *neque Circumciſio, ſed nova creatura*, hoc inſuper addentes, veniſſe tempus, cum Prophetia Iſaaci impleretur, & major populus minori ſerviret. Neque res ſtetit inanium jactatione Verborum, brevi ad hæreſes ventum eſt: nam, ut ſumus retinentes veterum, non minùs quàm cupidi novorum; aliqui de Judæis legem Moſis non abrogatam, ſed neceſſariam eſſe ad ſalutem, aliqui viciſſim de Gentilibus, non modó non neceſſariam, ſed & malam, & à malo eſſe principio contendebant; adeò facile eſt utrique parti ultra veritatis terminos in ipſo pugnæ ardore prætergredi. Cauſâ Hieroſolymam delatâ ad tribunal Apoſtolorum, coactum ibi Concilium eſt, omnium

Primos inter fideles diſcordia. *Act.* 4.

Cauſa diſcordiæ æmulatio Judæos inter & gentiles ſeu inter eos qui de Circumciſione venerant, & qui de præputio.

*Ad Galat.* 6.

*Gen.* 25.

Ex quâ æmulatione hæreſes utrimque ortæ de legis Moſaïcæ neceſſitate ad ſalutem.

Deciſa res in Concilio

Conciliorum primum, & quædam veluti forma futurorum, in quo controverſiam totam ſententia Petri decidit, Chriſtianis nimirùm de gentilitate venientibus legis Moſaicæ jugum intolerabile imponendum non eſſe. Acquievere omnes ſententiæ Petri; hoc tamen unum inſinuavit Jacobus, quamquam & ipſe legem Moſis abrogatam eſſe non dubitaret, videri ſibi optimum, ſi Gentilibus authoritate Apoſtolicâ imponeretur præceptum abſtinentiæ à ſanguine & ſuffocato, ſive cujuſdam temperamenti cauſâ inter utramque gentem tenendi; nam cum ſubſtantia cauſæ in favorem Gentilium decideretur, vel hoc tantillum Judæis indulgendum eſſe, quo appareret legem Moſis malam non fuiſſe, cujus adhuc reliquiæ ſervarentur; ſive, quod notat Auguſtinus, lib. 32. contra Fauſtum, c. 13. ut in aliquâ obſervatione communi uterque credentium populus velut in angulari lapide jungeretur. Placuit toti Concilio, tùm Petri, quæ capitalis erat, tùm acceſſoria ſententia Jacobi, deque totâ re ſcripta fuit Epiſtola Synodalis ad fratres Antiochenos magnificæ ſanè formulæ, *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Aliquantò poſt venit Petrus Antiochiam cauſâ viſendi novi gregis, & in fide inſtruendi; ibique ſtatim, ut conciliarem definitionem ſuo exemplo firmaret, ipſe vivere cœpit cum Gentilibus more Gentilium; ſed cùm Judæorum aliqui Hieroſolymis à Jacobo veniſſent, tum verò Petrus mutans vices, Gentilibus deſertis vixit more Judæorum, cibum diſcernens à cibo, & legis Moſaicæ cærimonias, quaſi ad ſalutem neceſſariæ forent, religioſè obſervans. Exemplum Petri ſequuti ſunt non modo

Hieroſolymitano ſententiâ Petri in favorem gentilium. *Act.* 15

Liberati enim ſunt ab onere legis Moſaicæ.

Impoſito iis dumtaxat præcepto abſtinendi à ſanguine & ſuffocato.

Cauſa præcepti temperamentum quoddam inter utramque gentem, & utriuſque in communi obſervatione conjunctio.

*Epiſtola Synodalis ad fratres Antiochenos.*

Petrus paulò poſt Antiochiam veniens initio quidem, cum genti-

libus vivere cœpit more gentilium deinde verò cum Judæis judaizavit ipſis etiam gentilibus ejus exemplum ſequentibus.

Barnabas, aliique Judæi, ſed ipſi etiam Gentiles, putantes ſibi quoque Judaizandum eſſe, Petro Judaizante. Offenſus eâ re Paulus, & timens, ne, quam hæreſim ſententia Petri extinxerat, exemplum Petri reſtitueret, audax conſilium meditatus eſt, ut Petro Judaizanti reſiſteret in faciem, eumque coram omnibus, & nullâ habitâ ratione dignitatis reprehenderet. Rem creditu difficilem, & niſi Paulus narraret incredibilem: narrat ipſe ad Galatas, *c.* 2. *cum veniſſet*, inquit, *Cephas Antiochiam, ei in faciem reſtiti, quia reprehenſibilis erat; priuſquam enim veniſſent quidam à Jacobo, cum gentibus edebat, cum autem veniſſent ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos qui ex circumciſione erant, & ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in eam ſimulationem. Sed cum vidiſſem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus, ſi tu Judæus cum ſis, gentiliter vivis, & non Judaicè, quomodo gentes cogis Judaizare?*

Petro Judaizanti reſtitit Paulus in faciem, quia inquit, reprehenſibilis erat.

Hæc ſunt Pauli verba, quæ nemo ſapiens vel audiat, vel legat ſine admiratione & ſtupore. Nam quale iſtud eſt, audire Petrum reprehenſibilem, & reprehenſum, quòd non rectè ambularet ad veritatem Evangelii, & cogeret gentes Judaizare, ipſe, qui Orthodoxæ fidei regula putabatur eſſe, ipſe, qui claudos & non rectè ambulantes erigebat, ipſe, qui gentes, legis Moſaicæ jugo, ſententiâ ſuâ paulò antè liberaverat? quale eſt audire Paulum reprehenſorem Petri, & novellum Apoſtolum emendatorem Principis Apoſtolorum? quale eſt, videre prima Eccleſiæ capita invicem pugnantia, altercantes charitatis ma-

Quod dictum & factum Pauli difficile & omni ex parte mirabile eſt.

giſtros, commiſſos Apoſtolici ordinis Principes, Eccleſiæ rectores in regimine Eccleſiæ diſſidentes. An tota iſta res à Paulo conficta eſt? An ex compoſito ſimulata diſcordia? an ſeriò res tranſacta? Petrus-ne peccavit, an Paulus? an uterque? an neuter?

Hæc eſt quæ prima naſcentis Eccleſiæ exordia turbavit, & ad omnes ferè ſequentium temporum controverſias proluſio quædam fuit, graviſſima controverſia; ſeu materiam ſpectes, ſeu partes litigantes, ſeu ipſius quæſtionis ſubſtantiam, ſeu accidentes ei controverſias. Hic eſt magnorum ingeniorum ſcopulus, hæc offenſionis Petra, ubi & hæſitarunt Patres, & partim offenderunt, & ferè omnes invicem diſcordarunt, aliis Petro, aliis Paulo faventibus, aliis utrumque accuſantibus, aut etiam defendentibus utrumque. Hic eſt impeditiſſimus nodus, qui Auguſtinum & Hieronymum per quatuordecim annos tenuit, exercuit, implicavit, ac penè in prælia pluſquàm fraterna & civilia armavit. Hoc eſt difficile aſperumque ſtadium, quod ne magnus quidem Auguſtinus, ſi Baronium audiamus, *inoffenſo pede decurrit*. Hæc eſt hodiernæ diſſertationis nobiliſſima materia, in quâ hoc unum diſplicere poſſit, quod nova non eſt; ſed mihi hoc etiam nomine multò magis placet: nam eas quæſtiones, in quibus verſati ſunt Patres, quippè quæ ipſâ ætate maturuerunt, novellis & crudis noſtrorum temporum quæſtionibus longè antepono, tùm quia ſine ullo ſtudio partium, minore periculo, & feliciore ſucceſſu tractantur, tùm quia vetuſtatis non minor eſt gratia, quàm novitatis, nec minùs placere debet veneranda

Gravitas & dignitas controverſiæ inter Patres celeberrimæ Hieronymum præſertim & Auguſtinum.

*Ad annum Chriſti 51.*

canities, quàm prima lanugo. *Mihi non tam benè eſt*, ajebat Tertullianus, *imò non tam malè eſt, ut Apoſtolos committam :* utinam mihi tam benè eſſet, ut Apoſtolos & Patres non accuſare, ſed defendere, non committere, ſed conciliare, iſtudque quantum quantum eſt diſcordiæ Apoſtolicæ ſcandalum vertere poſſem in exemplum. Diſſertationis noſtræ ordo hic erit. Primò quidem oſtendam inter Petrum & Paulum interceſſiſſe veram diſcordiam, non ſimulationem diſcordiæ, deindè aperiam quemadmodum intelligi poſſit vacare culpâ uterque Apoſtolus, & Petrus reprehenſus, & Paulus reprehendens. Tertiò, quæſtionis nodum expediam, duo hæc difficillima concilians, & nullam eſſe Petri reprehenſi culpam, & juſtam Pauli reprehenſionem. Deniquè in ipſâ diſcordiâ quam fuerint Apoſtoli concordes demonſtrabo. Prima pars ſtatuet veritatem diſcordiæ Apoſtolicæ. Altera Apoſtolos defendet. Tertia principalem expediet diſcordiæ nodum. Quarta demùm in ipſâ diſcordiâ concordiam inveniet.

Oeconomia diſſertationis quadri partitæ.

Prima pars.

Sententia Hieronymi, & Græcorum Patrum fuit Petrum inter & Paulum non veram diſcordiam interceſſiſſe, ſed ſimulatio-

Fuit hæc ſententia Hieronymi poſt Origenem, Didymum, Apollinarem, Chryſoſtomum, alioſque ferè Græcos Patres, Petrum inter & Paulum interceſſiſſe non veram diſcordiam, ſed ſimulationem diſcordiæ; ita nimirùm conveniſſe inter ipſos, ut Petrus quidèm Judæum ſimularet, Paulus verò Petrum Judaizantem ſimulatè reprehenderet. In eam autem Patres Græci venere ſententiam, quò facilius Porphyrio blaſphemanti reſponderent : nam cum iſte Paulum argueret procacitatis, quòd in Principe Apoſtolorum Petro auſus eſſet reprehendere ſimula-

tionem, cujus ipſe teneretur reus; ad Paulum excuſandum reponere ſolebant, Paulinam reprehenſionem veram non fuiſſe, ſed diſpenſatoriam, & ex compoſito factam. Diſplicuit graviter hæc Hieronymi ſententia Auguſtino, eo præſertim nomine, quòd, & mendacio favere videretur, & mendacium in ipſam Scripturam Canonicam invehere. *Mihi enim videtur*, inquit Auguſtinus, *extioſum, credi aliquod in Sanctis Libris haberi mendacium; admiſſo enim ſemel in tantæ authoritatis faſtigium officioſo aliquo mendacio, nulla illorum Librorum particula remanebit, quæ non, ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eâdem pernicioſiſſimâ regulâ ad mentientis authoris conſilium officioſè referatur.* Quare Auguſtinus idem aliâ Epiſtolâ ad eundem Hieronymum, vehementer hominem hortatur, ut ſententiam retractet. *Arripe*, inquit, *obſecro te, ingenuam & verè Chriſtianam cum Charitate ſeveritatem; Palinodiam, ut dicitur, cane, incomparabiliter enim pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quàm Helena Græcorum.* Hæc, & alia multa Auguſtinus; meritò quidèm in authoribus Canonicis ne minimam mendacii ſuſpicionem ferens, ſed Hieronymi mentem non ſatis aſſecutus. Nam Hieronymus, neque dixerat Petrum & Paulum in ſuâ ſimulatione fuiſſe mentitos, neque ex dictis Hieronymi id ullatenùs ſequebatur. Dixerat quidem Hieronymus Apoſtolos fuiſſe uſos ſimulatione, ſed non quæcumque ſimulatio mendax eſt. Dixerat Hieronymus ſcripſiſſe Paulum, quæ ſimulatè, & non ſeriò facta eſſent, ſed non dixerat, Paulum ſcripſiſſe mendaciter, quæ facta

nem diſcordiæ.

Cur in eam ſententiam venerint Græci Patres.

Diſplicuit graviter Auguſtino Hieronymum reprehendenti eo nomine quòd videretur favere mendacio, & mendaciũ in ipſam Scripturam invehere.

*Epiſt.* 8.
*Epiſt.* 9.

Excuſatur & defenditur Hieronymus cujus mentem non ſatis fuerat aſſecutus Auguſtinus.

non eſſent. In ipſo igitur primo veluti æſtu contentionis accepit Auguſtinus, quod non dederat Hieronymus; ſed quid faceres? Ea ferè litigantium conditio eſt, ut ſe non intelligant, eaque ſibi viciſſim, quæ non dixerunt, imponant: quare ad Auguſtinum reſcribens Hieronymus tanti erroris invidiam à ſe omninò removet. *Neque me putes*, inquit, *magiſtrum eſſe mendacii, qui ſequor Chriſtum dicentem, ego ſum via, veritas, & vita; neque fieri poteſt, ut veritatis cultor mendacio colla ſubmittat.*

*Epiſt.* 11.

Placet media quædam via inter utrumque Doctorem. Totum reprehenſionis Paulinæ negotium ſimulatè quidē tranſigi potuit, ſeriò tamen, & non ſimulatè fuit trāſactum. Explicatur quomodo totum negotium ſimulatè tranſigi potuerit.

Hîc ego, ſi annuitis, Viri Clariſſimi, mediam quandam viam arripiens inter utrumque Doctorem, contendo (pace Auguſtini dictum ſit) totum illud negotium ſimulatè, & ex condicto tranſigi potuiſſe; contendo itèm, cum bonâ veniâ Hieronymi, quamvis ſimulatè tranſigi potuerit, ſeriò tamen & non ſimulatè fuiſſe tranſactum. In toto iſto negotio, ſi tranſactum eſt ſimulatè, & non ſeriò, duplex ſimulatio intervenire debuit, una Petri Judaizantis, & permittentis ſe à Paulo reprehendi, altera Pauli reprehendentis Petrum, & ſuam illam reprehenſionem ad Galatas ſcribentis; atqui utraque ſimulatio potuit honeſtè fieri. Et Petrus quidèm potuit honeſtè ſimulare Judæum, ſegregare ſe à menſâ Gentilium, & diſcernere cibum à cibo; quia iſta ſegregatio à Gentilibus, aut diſcretio ciborum mala non erat. Equidem jam tum fuerat abrogata lex Moſis, jam tum iſta legis abrogatio in Concilio Apoſtolorum ſancita fuerat, & promulgata, jam antiquæ illæ cerimoniæ ut mortuæ jacebant, hoc eſt, ad ſalutem minimè neceſſariæ, & prorſùs inutiles: ex hoc tamen lex

Nam potuit Petrus

Moſis mala non erat, inutilis erat, ſed non mala, mortua erat, nec dum mortifera, expers animæ & Spiritus, nec dum malè olens, cadaveris inſtar recèns animati, quod aliquandiu ſine fætore aſſervari poteſt, donec ad tumulum efferatur cum honore: quæ elegans eſt comparatio Auguſtini. *Illa*, inquit, *vetera Sacramenta amiſerant tanquam vitam officii ſui, verumtamen ſicut defuncta corpora neceſſariorum officiis deducenda erant quodammodo ad ſepulturam, non autem deſerenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus tanquàm canum morſibus projicienda.* Potuit ergo Petrus uſurpare legalia, non quidem, *ex neceſſitate ſalutis, ſed ex conſuetudine ſolemnitatis*, ut loquitur idem Auguſtinus.

Objicies. Sentiebat Hieronymus legem Moſis non modo fuiſſe mortuam, ſed etiam mortiferam, adeò ut *de Tuguriolo ſuo & cum monachis compeccatoribus ſuis* Auguſtinum Epiſcopum acerbè reprehenderet, quod fortè dixiſſet licitum eſſe poſt promulgationem Evangelii uſurpare legalia, *Non ex neceſſitate ſalutis, ſed ex conſuetudine ſolemnitatis*: quomodo ergo idem Hieronymus actionem Petri Judaizantis approbare potuit. Reſpondeo. Fortè Hieronymus Auguſtinum dumtaxat reprehendit, quòd generatim & ſine ullâ limitatione dixiſſet, non eſſe illicitum ſervare legalia, id quod deindè Auguſtinus ipſe limitavit ad initium Evangelii, ita ut ſequentia tempora excluſerit. *Proindè nunc*, inquit, *quiſquis ea ſimiliter celebrare voluerit, tanquàm ſopitos cineres eruens, non erit ut priùs pius deductor, vel bajulus corporis, ſed impius ſepulturæ violator.* Eſto tamen putarit ipſe Hiero-

honeſtè uſurpare legalia.

Quia lex Moſis quãvis jam tũc abrogata erat, nondum tamen erat prohibita, habens ſe inſtar cadaveris recens animati, quod aliquandiu aſſervatur & cum honore ad tumulum effertur, quæ eſt elegans comparatio Auguſtini.

Id quod non negavit Hieronymus, ſed in Auguſtino reprehendit generalem nimis ſententiam de licitâ uſurpatione legalium poſt Evangelium.

Quā deinde Auguſtinus ipſe diſertè limitavit ad initium Evangelii.

*Epiſt.* 19.

Sed quāvis fortè putavit Hieronymus legalia fuiſſe prohibita ab ipſo Evangelii initio, non negavit tamen quin ex gravi aliquâ cauſâ ea tunc uſurpare licuerit.

Nec legalium uſum Petro illicitum faciebat ſequuturus inde error gentilium de neceſſitate legis Moſaicæ ad ſalutem.

Nam uſus ille legalium etiam

nymus ipſo etiam initio Evangelii prohibitum fuiſſe uſurpare legalia, putavit idem licitum eſſe illa uſurpare ex gravi aliquâ cauſâ, quemadmodùm ita prohibitum eſt in die feſto exercere opus ſervile, ut tamen in gravi aliquâ neceſſitate id liceat. At, inquies, prævidebat Petrus, id ſi faceret credituros Gentiles ipſum ideò Judaizare quòd putaret eſſe obligationem Judaizandi: non poterat autem Petrus eam præmeditari ſimulationem, ex quâ prævidebat Gentiles in tam grandem errorem venturos, quia iſtiuſmodi ſimulatio fuiſſet ſpecies quædam deceptionis & mendacii. Sed contra. Nemini quidem licet adhibere ſignum determinatum rei falſæ cum intentione fallendi, quia in eo eſt deceptio formalis: ſed profectò in gravi cauſâ & citra intentionem fallendi licet adhibere ſignum aliquod indeterminatum rei falſæ, etiam cum præviſione erroris indè ſequuturi. Nam, & exploditur tormentum bellicum ad conſpectum claſſis inimicæ, & hoſtile vexillum ſupra muros erigitur, quamvis ea ſeu tormenti exploſio, ſeu vexilli erectio, hoſtes plerumque fallat incautos. Licebat igitur Petro ex gravi aliquâ cauſâ, & citra intentionem fallendi uſurpare legalia, quamvis hinc prævideret Gentiles in errorem venturos. Undè ſic ulteriùs argumentor. Potuit Petrus convenire ſe id facturum, quod potuit honeſtè fieri: ſed iſta Judaiſmi ſimulatio potuit honeſtè fieri, ergo potuit Petrus convenire, ſe facturum iſtam Judaiſmi ſimulationem.

Quod ſi potuit Petrus honeſtè ſimulare Judaiſmum, potuit & Paulus ſimulatè reprehendere Petrum Judaizantem, non enim materia

reprehenſionis deerat, aut jus reprehendendi: nam cum actio Petri Judaizantis non eſſet omni ex parte bona, ſed aliquâ parte noxia, & Gentiles in errorem induceret, potuit eâ parte reprehendi, quâ parte bona non erat; ac proindè potuit honeſtè Paulus eam reprehenſionis anſam captare, quam Petri ſimulatio præbebat. Nec verò deerat Paulo reprehendendi jus, ex permiſſione ſcilicet & diſpenſatione Petri. Nam ſi Chriſtus *Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus*, voluit tamen reus apparere, factus pro nobis, *peccatum & maledictum*, cur non potuit Petrus vices Chriſti gerens, & ad exemplum Chriſti ſe totum fingens, Paulinæ reprehenſionis onus in ſe ſuſcipere, &, ſi quod habebat jus, ne à juniore & novello Apoſtolo argueretur, omninò remittere. Jam verò, ſi potuit Paulus Petrum ſimulatè reprehendere, potuit idem ſuam illam reprehenſionem ad Galatas ſcribere, quod enim potuit honeſtè fieri, potuit honeſtè ſcribi; quippè eadem eſſe potuit cauſa ſcribendi, quæ faciendi.

Hæc ſatis, ut appareat probabilem eſſe, aut certè non impoſſibilem modum illum quo veteres Patres præſertim Græci quæſtionem illam ſolverunt, *non officioſum mendacium* defendentes, ut putavit Auguſtinus, ſed oſtendentes honeſtam diſpenſationem; ut, & Apoſtolorum prudentiam demonſtrarent, & blaſphemantis Porphyrii impudentiam coërcerent. *Interpretati ſunt illi ut potuerunt* (inquit Hieronymus) & quidem probabiliter ut videtis: jam enim demonſtraſſe mihi videtur totum iſtud reprehenſionis negotium ſimulatè & ex condicto tranſigi potuiſſe;

in his circumſtantiis deceptio, non erat quia fiebat ex gravi aliquâ cauſâ & citra intentionē fallendi.

Potuit ergo Petrus honeſtè convenire ſe facturum iſtam Judaiſmi ſimulationem.

Potuit item Paulus ſimulatè reprehendere Petrum Judaizantem: quia nec materia reprehenſionis deerat, in actione Petri gentiles in gravem errorem inducente.

Nec jus reprehendendi ex permiſſione & diſ-

penſatione Petri.

ſed quamvis ſimulatè & ex condicto tranſigi potuerit, puto tamen ſeriò, & non ſimulatè fuiſſe tranſactum: in quo recedens ab Hieronymo Græciſque Patribus, ad Auguſtinum, alioſque ferè Latinos Patres accedo.

Potuit denique Paulus ſimulatam illam reprehenſionem ad Galatas ſcribere.

Verſamur hîc in genere conjecturæ: cum enim res utroque modo fieri potuerit, & ſimulatè & ſeriò, utro res facta ſit, ſupereſt ſola inquiſitio conjecturalis. Conjectura verò petenda eſt ex narratione Pauli, ſolus enim Paulus hiſtoriam reprehenſionis reliquit, nihil de eâ Lucas in Actis, nihil Petrus in Epiſtolis, nihil cæteri Apoſtoli meminere. Atqui in narratione Pauli ne veſtigium quidem extat iſtius conventionis, quam Græci Patres excogitarunt, imò rem totam altiùs ſcrutanti, nihil niſi valdè ſerium apparebit, ſeu finis ſcribentis Pauli, ſeu modus ſcribendi conſideretur. Dolebat Paulo vehementer, quòd Galatas qui ipſum audiſſent non modò ut Angelum, ſed ut ipſum Chriſtum, jam tamen falſorum fratrum perſuaſione ſeducti ac faſcinati Chriſtianiſmum ſociarent Judaiſmo, & cum Judæi ſimul & Chriſtiani eſſe vellent, Chriſtiani eſſe deſinerent, *Miror* (inquit) *quòd tam citò transferimini in aliud Evangelium, ab eo qui vocavit vos per ſuam gratiam. O inſenſati Galatæ quis vos faſcinavit.* Nimirùm falſi illi fratres adverſùs Paulum duo præſertim garriebant. Unum, quod novellus Apoſtolus Doctrinam ſuam non, ut cæteri Apoſtoli, de fonte hauſiſſet, qui Chriſtus eſt. Alterum, quòd aliquandò Judæus à Judæis per Apoſtaſiam defeciſſet: quæ duo miro artificio Paulus elevans, duo ſtatuit omninò contraria. Primum eſt, ſe Evangelium

Unde ſequitur non eſſe improbabilem Græcorum Patrũ ſententiam.

Sed tota iſta res quæ ſimulatè fieri potuit, ſeriò tamen & non ſimulatè videtur fuiſſe facta, ut ſenſit Auguſtinus aliique ferè Latini Patres.

Gravis conjectura petitur ex narratione Pauli, qui ſolus hiſtoriam reprehenſionis reliquit.

accepiſſe immediatè à Chriſto, ſuumque Apoſtolatum non ex deſignatione hominum eſſe, ſed ex Dei Patris & ipſius Chriſti electione. Alterum, ſe cum cæteris Apoſtolis communicaſſe Evangelium ſuum, & ab iiſdem approbationem ac dexteram Societatis accepiſſe. Quibus ita conſtitutis Galatas ſeverè monet, ſe ita certum eſſe de veritate Evangelii ſui, ut paratus ſit Anathema dicere ei quicumque, ſive Angelus; ſive homo contradixerit. Ac ne quid de firmitudine Pauli dubitarent, interpretantes ipſum minari quæ facturus non eſſet, adducit exemplum Petri à ſe in faciem & coram omnibus reprehenſi; quaſi diceret, *Ego ipſe ſum, qui Petrum Judaizantem ferre non potui, profectò nec vos feram, ſed excommunicabo, ſi quis ſimile aliquid fecerit.* Habetis quò ſpectet Hiſtoria Petri reprehenſi, & quis ſit finis Pauli eam Hiſtoriam ſcribentis: nimirùm ut Galatis omninò perſuaderet, ſe Judaiſmi culpam in nullo diſſimulaturum, quam, ne in ipſo quidem Petro Apoſtolorum Principe diſſimulaſſet. Atqui ſi Paulina Petri reprehenſio diſpenſatoria tantùm fuit, & non ſeria, parùm eò valebat Hiſtoria Petri reprehenſi. Ergo ut in eum finem valeret, quò deſtinabatur à Paulo, dicendum eſt reprehenſionem non diſpenſatoriam fuiſſe, ſed ſeriam. Quod ipſum non ex fine ſcribentis tantùm, ſed multò etiam validiùs ex modo ſcribendi colligit Auguſtinus: nam Paulus narrationem ſuam orditur à ſolemni formulâ Juramenti, *quæ ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Quâ formulâ omnem diſſimulationis, æquivocationis, aut reticentiæ ſuſpicionem amolitur; in ipſo autem narrationis

In quâ nullum eſt veſtigiū conventionis aut ſimulationis, ſed omnia ſeria ſeu ſpectetur finis Pauli ſcribentis.

Quem in finem Hiſtoriam Petri reprehenſi Paulus referret.

Seu ſcribendi modus totus ad ſerium aliquid in-

ſinuandum compoſitus.

*Ad Gal.* 1.

Si reprehēſio diſpenſatoria fuit & non ſeria, meliùs, & ad convincendos Galatas efficaciùs torqueri potuit.

Nec præſumi debet iſta Apoſtolorum conventio ſine neceſſitate, quæ nulla eſt, ut oſtēdetur in ſecundâ parte diſſertationis.

contextu ne veſtigium quidem extat diſpenſatoriæ reprehenſionis. Deindè ſi reprehenſio diſpenſatoria fuit, longè alio modo, & quidem efficaciore ad convincendos Galatas proponi debuit à Paulo; quanti enim ponderis fuiſſet, ſi dixiſſet Paulus, ita non eſſe Judaizandum, de ſententiâ ipſius Petri, ut Petrus aliquandò ad fideles à Judaiſmo avertendos reprehenſionem ſuſtinere voluerit. Deniquè extraordinaria illa conventio præſumi non debet niſi probetur, non probatur autem: nam, quæ fingitur eſſe illius neceſſitas ad excuſandos Apoſtolos, nulla eſt. Quamvis enim totum reprehenſionis negotium ſeriò & ſine conventione tranſactum fuerit, intelligi poteſt uterque Apoſtolus vacare culpâ, & hæc erit diſſertationis noſtræ ſecunda pars. Ordiamur à defenſione Petri.

Secunda Pars.

*Clemens Alexandr. apud Euſeb. lib.* 1. *Hiſt. c.* 10.

Nolim ego ad defenſionem Petri, quod aliqui fecerunt, metamorphoſim fingere, & loco Petri alium quendam *Cepham* vulgarem Diſcipulum ſupponere, qui portet pondus & crucem, ut ita dicam, Paulinæ reprehenſionis; hæc enim metamorphoſis meo judicio fictitia eſt, & ſpeciem habet commenti Marcionis, qui Chriſtum cùm verè crucifixum negaret, Simonem Cirenæum aiebat, aſſumptâ mirabiliter Chriſti formâ pro Chriſto fuiſſe crucifixum, Chriſto interim Judæos irridente, quòd ſe crucifigi putarent, cum minimè crucifigeretur. Quare fateor *Cepham*, qui dicitur à Paulo reprehenſus, eſſe ipſum Petrum Apoſtolorum principem: nam iſte eſt Cephas à Paulo numeratus inter Eccleſiæ columnas, iſte eſt Cephas, qui pondere authoritatis ſuæ Barnabam cæteroſque Apoſtolos ſecum

Cephas à Paulo reprehenſus eſt ipſe Petrus Apoſtolus &

trahens ; Gentilibus neceſſitatem Judaizandi exemplo ſuo faciebat ; quis autem vulgaris Diſcipulus tantùm potuerit ? Quis tantùm potuerit niſi Petrus ? certè ſi Cephas iſte reprehenſus à Paulo, Petrus non fuit, ſed unus aliquis de numero vulgarium Diſcipulorum, non erat, cur reprehenſionem illam ſuam tantoperè Paulus exaggeraret, non erat, cur Patribus omnium ferè ætatum ejuſmodi reprehenſio nodus tàm difficilis appareret. Nam quid adeò magnum eſt, ſi Paulus vulgarem aliquem Diſcipulum reprehenderit. Ergo Cephas à Paulo reprehenſus Petrus eſt, & Apoſtorum Princeps Petrus. Atque hunc Judaizantem omni vacare culpâ ſic demonſtro.

Apoſtolorum Princeps, non vulgaris aliquis Diſcipulus, ut nonnulli malè finxerunt.

Si qua fuit culpa Petri Judaizantis, vel ea fuit culpa infidelitatis, vel culpa ſimulationis fallacis, vel culpa ignavi timoris, vel culpa imprudentiæ & inconſiderationis : ſed nulla fuit ejuſmodi culpa, ergo nulla fuit culpa Judaizantis Petri.

Vindicatur ab omni culpâ Petrus Judaizans.

Nilus in Libro ſuo de primatu Romani Pontificis contendit Petrum Judaizantem erraſſe in Fide, & ex iſto Petri errore, invictum, ut ſibi quidem videtur, argumentum vibrat contra infallibilitatem Romanorum Pontificum : nam ſi Petrus errare potuit, *Quis*, inquit, *adeò bonus ſit ut credat ſucceſſores Petri errare non poſſe?* Sed Nilus iſte ſupra alveos veritatis quàm latè exundat ? Nam etiàm, in ſenſu authorum qui Romanis Pontificibus magis favent, infallibilitas Romanorum Pontificum non ea eſt, ut non errent Pontifices errore privato, ſed ut non errent ex Cathedrâ loquentes, hoc eſt, ut nunquàm errorem proponant toti Eccleſiæ creden-

Nulla fuit in Petro Judaizante culpa infidelitatis aut Hæreſis.

Nam Judaizans neque erravit errore publico.

dum, cùm obligatione acquieſcendi. Ergo quamvis daremus erraſſe Petrum errore privato; non inde elevaretur, quam ſtare volunt Romani Pontificis infallibilitatem, dummodò ſtaret non erraſſe Petrum ex Cathedrâ loquentem. Atqui evidens eſt Petrum ex Cathedrâ loquentem non erraſſe: neque enim Petrus Judaizans, definiit Judaizandum eſſe, & gentes, ſi coëgit Judaizare, coëgit utique non definitionis, aut imperii vi, ſed exempli. *Quare, ſi quod ejus vitium fuit*, inquit Tertullianus, *converſationis vitium fuit, non prædicationis.* Sed neque hoc ipſum Nilo permittimus, erraſſe Petrum Judaizantem errore privato: nam iſte eſt Petrus, cui dictum eſt, *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua:* iſte eſt Petrus, cujus ante oculos cæleſte linteum nuper expandebatur, omnia animalium genera, munda cum immundis complectens: iſte eſt cujus auribus divina illa vox inſonabat, *quod Deus purificavit tu commune ne dixeris.* Quomodo ergo, divinæ viſionis & revelationis immemor, idem nunc credat diſcretionem ciborum neceſſariò faciendam eſſe. Iſte eſt Petrus, qui in ipſâ Metropoli Judæorum audacter definiebat, legis Moſaicæ obligationem nullam eſſe: iſte eſt, qui mox cum Gentilibus gentilitio more vivebat. Quomodo ergo nunc ſe ipſe negans, gentilitiam libertatem damnet & Judaiſmum reponat, quem & ſententiâ & facto abolevit? iſta ne eſſet immobilitas Petri, an levitas Paleæ? verùm quid hic ultra immoramur, cum Paulus ipſe Petri reprehenſor, ab omni ſuſpicione erroris Petrum liberet, Petri factum appellans *ſimulationem*,

[Margin notes: *In Lib. de Præſcript.* — Neque privato. *Luc. 22.* — *Act. 10.* — *Act. 15.* — *Ad Gal. 2.*]

*nem*, aut, ut habent græci codices, *hypocriſim*, quòd nimirùm Petrus cum probè ſciret, nullam eſſe obligationem Judaizandi, perindè tamen Judaizaret, ac ſi tota vigeret obligatio Judaizandi. nam ſi Petrus Judaizans crederet neceſſariò Judaizandum eſſe, jam factum Petri ſimulationis aut hypocriſis nomen non mereretur; ergo ita Judaizabat Petrus, ut tamen non crederet eſſe neceſſariò Judaizandum, ac proindè in eo errore non erat, quem Nilus ei impingit.

Ut ſignificat ipſemet Paulus Petri factum appellans ſimulationem aut hypocriſim.

At, inquies, Petrus, ſi non actu interno, ſaltèm actu externo peccavit; tum quia diſſimulavit fidem ſuam, cum profiteri teneretur; tum quia Judaiſmum Religionem utique falſam & jam abolitam profeſſus eſt: fuit enim illa ſegregatio à Gentilibus, aperta quædam profeſſio Judaiſmi. Sed contrà. Jam ſatis conſtabat de fide Petri circa abrogationem legalium, ac proindè nulla tum Petrum urgebat neceſſitas profitendi fidem ſuam. Nec verò ille legalium uſus, diſtincta erat & determinata profeſſio Judaiſmi, cum enim eſſet ſignum dumtaxat æquivocum, & duplicem finem haberet, unum ſignificandi legem Moſis eſſe neceſſariam ad ſalutem, alterum ſignificandi legem Moſis non eſſe malam, potuit per operantis intentionem unus finis ab altero ſeparari; ergo potuit Petrus uſurpare legalia, non quidem ut legem Moſis profiteretur eſſe neceſſariam, ſed ut eam non eſſe malam ſignificaret. Quod ſi fortè aliqui Gentilium factum Petri aliter interpretati ſunt, culpa ipſorum fuit, actionem Petri æquivocam præcipitanter nimis & temerè interpretantium: quare maneat Petrum nullatenùs infidelitate peccaſſe.

Imò neque actu externo Petrus contrà Fidem peccavit Judaizando.

Non peccavit item ſimulatione fallaci.

Alioquin & ipſe Paulus eâdem ſimulatione peccaſſet, ut efficaciter probat Hieronymus, Paulum Judaizantem comparans cum Petro Judaizante.

*Epiſt. 8. & 9. ad Aug.*

*Epiſt. 11. ad Aug.*

Et demonſtrans Paulum ſimulaſſe magis quàm Petrum.

*Epiſt. 11. ad Aug.*

Non peccavit item ſimulatione fallaci. Nam ſi Petrus Judaizans peccavit ſimulatione fallaci, peccavit & Paulus: ſed Paulus Judaizans non peccavit ſimulatione fallaci, ergo nec Petrus. Sequelam majoris negat Auguſtinus, vel ſeverior in Petrum, vel indulgentior in Paulum, damnans in uno, quod abſolvit in altero. Sequelam probat efficaciter Hieronymus, inſtitutâ inter utrumque Apoſtolum comparatione. Nam *quid, amabo, fecit Petrus? Cum veniſſent quidam à Jacobo ſegregavit ſe, timens eos qui ex circumciſione erant.* Hoc totum eſt cur accuſetur Petrus fallacis ſimulationis, & prævaricator arguatur hujus ſententiæ, cujus primus author extiterat. Paulus verò, videamus, num ſimile aliquid fecerit. Timotheum ex Matre Chriſtianâ, & Patre Gentili natum circumcidit, quò nimirùm, ut notat Chryſoſtomus, *gratior Judæis Magiſter & Doctor circumciſus accederet. O Beate Apoſtole Paule*, exclamat Hieronymus, *qui in Petro reprehenderas ſimulationem, quâ ſegregabat ſe à gentibus propter metum Judæorum qui à Jacobo venerant, cur Timotheum Filium hominis Gentilis, utique & ipſum Gentilem contra ſententiam tuam circumcidi coegiſti?* Neque id ſolum fecit Paulus, comam inſuper nutrivit ex voto, ac deindè totondit ex lege. Sed omnia ſuperat, quod refert Lucas Actuum capite 21. *Cum veniſſemus*, inquit, *Hieroſolymam libenter exceperunt nos fratres, & omnes ſeniores qui cum Paulo erant*, Evangelio illius comprobato dixerunt ei. *Vides, frater, quot millia ſunt in Judæis, qui crediderunt, & hi omnes æmulatores ſunt legis: audierunt autem de te, quòd diſceſſionem doceas à*

*Moiſe eorum, qui per gentes ſunt, Judæorum, dicens non debere circumcidere filios, neque ſecundùm conſuetudinem ingredi. Quid ergo eſt? utique oportet convenire multitudinem, audient enim te ſupervenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus: ſunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe; his aſſumptis ſanctifica te cum illis, & impende in illis ut radant capita, & ſciant omnes, quia, quæ de te audierunt falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem .... tunc Paulus aſſumptis viris poſterâ die purificatus intravit cum illis in templum annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.* Hæc Lucas totidem verbis. Ubi exclamans iterum Hieronymus, *O Paule*, inquit, *& in hoc te rurſum interrogo, cur caput raſeris? cur nudipedalia exercueris de ceremoniis Judæorum? cur obtuleris ſacrificia, & ſecundùm legem pro te hoſtiæ fuerint immolatæ? utique reſpondebis, ne ſcandalizarentur, qui ex Judæis crediderant; ſimulaſti ergo Judæum, ut Judæos lucrifaceres; & hanc ipſam ſimulationem Jacobus & cæteri te docuere Presbyteri.* Sed Paulo relicto, qui profectò nunquàm in Petro reprehendit fallacem ſimulationem, liceat nobis exemplo Hieronymi, verum Petri accuſatorem Auguſtinum reverenter interrogare. Quid eſt igitur, beatiſſime Pater Auguſtine, quid eſt? quòd accuſatione dividis, quos eadem cauſa conjungit, damnans in Petro, quod abſolvis in Paulo. Ais tu quidem Judaizaſſe Paulum, *non mentientis aſtu, ſed compatientis affectu*, eoque ſolum ſenſu factum fuiſſe Judæis Judæum, *compaſſione miſericordiæ, non ſimulatione fallaciæ*: Fit enim, inquis, ægrotus, qui mi-

*Epiſt.* 11.

Quo modo Auguſtinus Paulum Judaizantem excuſavit, excuſari poteſt Petrus Judaizans. *Epiſt.* 19.

„ niſtrat ægroto, non cùm ſe febres habere men-
„ titur, ſed cùm animo condolentis cogitat quem-
„ admodum ſibi ſerviri vellet, ſi ipſe ægrotaret. Benè eſt, accipio verba tua omninò accommodata ad defenſionem Petri, & dico Petrum Judaizaſſe ſimiliter ut Paulum, *non mentientis aſtu, ſed compatientis affectu, non ſimulatione fallaciæ ſed compaſſione miſericordiæ.* Ais ita Judaizaſſe Paulum, ut *quod malum habebant Judæi dimiſerit.* Paulus enim vetera legis Sacramenta neque putavit neceſſaria eſſe, neque in illis ſpem ullam ſalutis conſtituit. Benè eſt iterùm, ſed quod addis, non minùs Petro favet, quàm Paulo: nam ſi Paulus Judaizans id quod malum erat in Judaiſmo dimiſit, cur non æquè dimiſerit & Petrus? Paulus, inquis, dimiſit, non dimiſit Petrus, quia Petrus legalia uſurpavit cum intentione fallendi, volens ea credi ad ſalutem neceſſaria. Bona verba, ſuaviſſime Pater, ſecùndùm auream regulam tuam, *cùm factum excuſari non poteſt, benigna charitas intentionem operantis excuſat*; quomodo ergo nunc, eximiæ charitatis Doctor, ſiniſtrè interpretari libet factum Petri Judaizantis, eumque, cùm ex facto non poſſis, ex occultâ intentione damnare. Occulta, inquis, intentio non eſt, hinc enim ſe ſatis prodit, quòd gentes Petrus Judaizare cogeret: nam ſi Petrus Judaizans non eâ intentione legalia uſurparit, ut crederentur ad ſalutem neceſſaria, non apparet quomodo gentes Judaizare cogeret, cogebat autem, ipſo Paulo teſte, ergo dicendum eſt malam fuiſſe intentionem Petri Judaizantis, ne dicere cogamur malam fuiſſe fidem Pauli ſcribentis. Hoccine igi-

Nec eſt umbra ſimulationis fallacis in Petro, quæ non ſit eadem in Paulo.

tur eſt totum robur accuſationis tuæ ? ita ne Doctorum aquila, cernis cæteris acutiùs, ea videns, quæ cæteri non vident. Cogebat Petrus gentes Judaizare, verum eſt; agnoſco verba Pauli, agnoſco ſinceram ſcribentis fidem, ſed malam Petri intentionem non video. Cogebat nimirùm Petrus Judaizare gentes, *non docentis imperio, ſed converſationis exemplo.* Cum enim eſſet Petrus univerſalis Eccleſiæ Paſtor, & forma totius gregis, fiebat in ovibus neceſſitas quædam ſequendi paſtorem Judaizantem. Cogebat Petrus gentes Judaizare, ex errore Gentilium intentionem Petri temerè præſumentium: ad cogendum autem, non minùs poterat intentio præſumpta, quàm vera. Nihil ergo eſt, cur Petro fallacis ſimulationis culpa imponatur.

Nam quòd Petrus Gẽtes Judaizare cogeret fallaciam non probat. Cogebat enim non docentis imperio, ſed converſantis exemplo.

*Hier. Ep. 11. c. 4.*

Sed neque ei imponi debet culpa ignavi timoris. Equidem timor aliquis Judæorum, cauſa fuit Petro ſegregandi ſe à Gentilibus, id enim expreſſè Paulus aſſerit. *Cum autem veniſſent, ſubtrahebat ſe, timens eos qui ex circumciſione erant.* Sed hic Petri timor, prudentiæ timor fuit, non ignaviæ; quo nimirùm Petrus Judæis timebat, non ſibi. Et verò quid ſibi timeret Petrus ? capitis ne, an Epiſcopatûs periculum ? ſummos Eccleſiæ paſtores, non diffiteor, aliquandò ignavus iſte timor concuſſit, evertitque, adeò ut à Marcellino thurificationem, injuſtam Athanaſii damnationem à Liberio, reſtitutionem Anthimi à Vigilio, ab aliis alias prævaricationes extorſerit. Sed de Petro poſt acceptam plenitudinem ſpiritus, abſit, ut tale aliquid ſuſpicemur. Retractemus potiùs cum Chryſoſtomo, *Petri confitentis fidem, fervorem amantis, conſtan-*

Sed neque imponi debet Petro culpa ignavi timoris. Fuit quidem aliquis in Petro timor, ſed prudentiæ timor non ignaviæ.

*In cap. 2. Ep. ad Gal.*

*tiam prædicantis* , & evaneſcet continuò omnis ignaviæ ſuſpicio : nam , qui paulò antè furenti multitudini animam ſuam expoſuit , qui & vinctus & flagellatus de conſtantiâ nihil remiſit , Quomodo nunc Antiochiæ remitteret ? qui Judæos capitales Chriſti hoſtes in civitate ipſorum primariâ non metuit , quomodo in alienâ civitate eos , qui ad Chriſtum à Judæis defecerant , metueret ? Eſt hæc ſapiens ratiocinatio Chryſoſtomi. Igitur non ſibi timebat Petrus, ſed iis timebat , *qui ex circumciſione erant* , ne ſcilicet à ſuſceptâ fide deficerent. Deficiendi autem cauſa duplex timeri potuit. Prima erat falſa quædam quæ ſpargebatur in vulgus de Chriſtianis opinio , quaſi legem Moſis uti malam , diffamarent. Quæ opinio magnum erat Judæis ſcandalum , cum enim ii pro certo haberent legem ſanctam eſſe & verè divinam , vel ex hoc Chriſtianiſmum arguere potuiſſent falſitatis , quòd legem , quæ bona erat , uti malam , reſpueret. Altera deficiendi cauſa Judæis erat , interpretativus gentis ſuæ contemptus : nam electus ille Judæorum populus non modò indignè ferebat poſtponi ſe Gentilibus , ſed nec ſibi æquari Gentiles patiebatur , veteris dignitatis memoriam & reſpectum haberi volens. Eſt autem iſta nationum æmulatio periculoſa res , & delicatiſſimi regiminis , in quâ præſertim commendare ſe debet ſapientis moderatoris induſtria & æquitas , ne qua ſe gens meritò queratur eſſe contemptam , aut indignè, minùs merenti , poſtpoſitam. Atqui utrique malo opportunè providit Petrus ſegregando ſe à Gentilibus ; ita enim clarè oſtendit , nec à ſe legem Moſis repudiari ut malam ; nec à ſe contemni

Nec ſibi timebat Petrus. Sed Judæis ne à ſuſceptâ Chriſti fide deficerent

Deficiendi cauſa duplex timeri potuit.

Judæos, ad quorum mores deſertis Gentilibus tranſiret. O! ſi prudentem hunc politicumque timorem ſemper habuiſſent omnes ſucceſſores Petri, eique,ut in officio, ita in arte regendi ſuccederent, non tot ſchiſmata, non tot hæreſes, non tot populorum defectiones lugeremus: non toties Petri rete rumperetur: non ex eo Provinciæ, non regna, non integræ nationes, magnorum inſtar piſcium emergerent: nam olim cùm tanti eſſent piſces, rete non ſcindebatur; quia nimirùm rete trahebat Petrus, & rumpi timens, provido timore ſuo faciebat, ne rumperetur.

*Joan. 21.*

Non peccavit denique Petrus levitate aut mobilitate animi.

Hinc ſequitur, quod ultimo loco dicendum reſtat pro abſolutâ defenſione Petri, non peccaſſe eum levitate aut mobilitate animi, uti peccare viſus eſt Tertulliano præſentis negotii cauſas non ſatis conſideranti. Verſatur Petrus in ancipiti, utrimque periculum, utrimque anguſtiæ: nam ſi Gentilibus ſe ſubducens ad Judæos tranſierit, offendentur Gentiles & periculoſo errore credent neceſſariò Judaizandum eſſe: ſin autem cum Gentilibus perſeverans Judæorum mores reſpuerit, contemni ſe putabunt Judæi, & à fide in perpetuum deficient. Hæc videbat Petrus, examinabat, ponderabat, libratiſque hinc indè rationibus ſegregabat ſe à Gentilibus, & ad Judæos tranſibat, quia minus malum reputabat eſſe, ſi lex crederetur neceſſaria, quàm ſi mala crederetur; & minore Eccleſiæ damno futurum erat, ſi errarent ad tempus Gentiles, quàm ſi exaſperati Judæi in perpetuum à fide deficerent. Accedit quòd Gentilibus ſatis proviſum videbatur eſſe, tum anteriori converſatione

Prudentia Petri in ſuâ Judaiſmi ſimulatione.

Petri gentiliter viventis, tum præſenti vigilantiâ Pauli, illud perpetuò comminantis, *ſi circumcidamini Chriſtus vobis nihil proderit.* Nihil ergo magnoperè timendum erat Gentilibus, & ſola nutabat pars Judæorum. Quare ad Judæos cum Petrus tranſiit, parti laboranti ſuccurrit, & quod erat magni ducis, aut, ut meliùs dicam, univerſalis Epiſcopi munus implevit. Implevit item munus Epiſcopi particularis Judæorum & Apoſtoli circumciſionis. Scitis enim Petrum & Paulum fidelium curam & regimen ita fuiſſe inter ſe partitos, ut Paulus quidem *præputii*, hoc eſt Gentilium, Petrus verò *circumciſionis*, hoc eſt Judæorum Apoſtolus diceretur. Cavendum tamen eſt, ne res iſta ſic intelligatur, quaſi Juriſdictioni Petri totum præputium ſubtractum eſſet, nec ad eum ulla Gentilium cura pertineret. Nam Petrus nihilominùs erat univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus & Paſtor totius gregis, ſed ita Paſtor totius gregis, ut præcipuo quodam nomine Paſtor eſſet Judæorum & circumciſionis Apoſtolus; ſive quia, ut Vicarius Chriſti Apoſtolatum Chriſti repræſentabat, qui propriè miſſus fuit, *ad oves quæ perierunt domûs Iſrael*, *miniſter circumciſionis* appellatus; Sive quia Apoſtolorum Principi æquum erat, ut præcipua naſcentis Eccleſiæ portio obtingeret, cujuſmodi erat portio circumciſionis; ſive demùm quia Petro totius ſummæ optionem habenti liberè placuit in Judæis excolendis operam ſuam ponere, curâ Gentilium Paulo relictâ. Atqui Apoſtolatus iſte circumciſionis exigere videbatur à Petro, ut ſegregaret ſe à Gentilibus, & ad Judæos tranſiret; quia iſte tranſitus ceſſurus erat in magnum

*Ad Gal. 5.*

Quomodo munus impleverit & univerſalis Eccleſiæ Paſtoris, & Apoſtoli circumciſionis.

*Ad Gal. 2.*

Gentilium curâ Paulo relictâ.

*Ad Rom. 15.*

Judæorum bonum, ipſorum offenſionem & defectionem impediens. Nec verò Petrum morari debuit, offenſio Gentilium, ſeu quòd ea offenſio minus malum videretur eſſe offenſione Judæorum, ſeu quòd de ſalute Gentilium in Pauli Apoſtoli vigilantiâ, & ſollicitudine prudenter acquieſceret. Intelligitis, opinor, omnes Petrum reprehenſum vacare culpâ: ſed ſi Petrus reprehenſus culpâ vacat, fortè non omnes intelligitis, quomodò Paulus reprehendens in culpâ non ſit, hoc enim difficillimum intellectu eſt; efficiam tamen, ſi me audieritis, ut intelligatis.

Paulus Petrum reprehendens in culpâ non fuit, à multis tamen reprehenſus.

*Hier. Ep.*1.

Incredibile eſt, Paulina reprehenſio quàm multos reprehenſores habuerit; certè pro vulnuſculo quod Petro fecerat, *acu foratum punctumque*, grave vulnus Paulus accepit, *lanceâ*, & ut ita dicam, *Phalaricæ mole percuſſum.* Nam ſunt qui in Paulo reprehendente invidiam notent: ſunt qui eum ambiiſſe velint æqualitatem cum Petro: ſunt qui ſuperbæ audaciæ accuſent, quòd minor majorem, novellus, veteranum objurgarit: ſunt qui procacitatis arguant, quòd modum in reprehendendo exceſſerit, palam & in faciem exprobrans, quod privatim exponi oportuiſſet: ſunt denique qui levitatis & imprudentiæ inſimulent, quòd Petrum innocentem nullo ſuo merito præproperè nimis & inconſideratè reprehenderit; ſed profectò nihil horum habet Paulina reprehenſio, non invidiam, non ambitum, non procacitatem, non audaciam, non levitatem aut imprudentiam. Atque hæ ferè calumniæ ſunt à quibus Paulum reprehendentem vendicare habeo, ut ſalvo illius honore fiat quæſita concordia.

Variæ in Paulum calumniæ.

Difflantur omnes.

Calumnia invidiæ quàm temerè inuſta Paulo.

Porphyrius, ſi credimus Hieronymo, blaſphemare auſus eſt, exarſiſſe Paulum in invidiam virtutum Petri, & invidiæ ſtimulis agitatum eò veniſſe, ut Petrum reprehenderet. Sed quis iſte eſt ſcrutator cordium & latentis in Apoſtolo invidiæ curioſus inſpector? Philoſophus nimirùm verſipellis, infamis apoſtata, *calumniarum Pater*, ut eum Cyrillus Alexandrinus appellat, & *amarorum ſcriptor libellorum* Porphyrius? iſte talis cum ſit, nullius fidei homo, invidiam notare poteſt in Paulo, probare non poteſt, quam tamen niſi probet, abire debet Paulus abſolutus; ſtat enim poſſeſſio pro innocentiâ. Age igitur calumniarum Pater Porphyri? aut quiſquis Porphyrianus es? quam ſpeciem cauſamve prætendis calumniæ tuæ? quamobrem Paulum invidiæ accuſas? Paulus, inquis, homo erat, ut cæteri, ac proindè invidus, ut cæteri, alienæ laudis obtrectator, ut cæteri, de aliis creſcere amans, ut cæteri? ſed tu Porphyri? tune homo es, ut cæteri? qui, ut unum invidum habeas, omnes invidos facis. Stimulum carnis ſentiebat Paulus, non diffiteor, nam & ipſe ſentire ſe ultrò confeſſus eſt, ſtimulum invidiæ pariter confeſſurus, ſi pariter ſenſiſſet, & ex hac infirmitatis ſuæ confeſſione ſolidam gloriam quæſiturus, eſt enim hæc Paulina vox, *libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Sed eſto ſtimulum invidiæ Paulus ſenſerit; an ideo conſenſiſſe dicendus eſt? idque tam turpiter, ut indè factus impotens ſui, in publicam Petri reprehenſionem prodierit. Hæc invidiæ rabies in Porphyrium aliquem cadere poſſit, in Paulum non poſſit. Sed prona eſt, inquies, ad reprehenſionem invidia, & naturâ invidi iidem

*Lib. 3 contra Iul.*

*2. ad Cor. c. 12.*

ferè cenſores ſunt, ac reprehenſores aliorum; ſive quòd omnia obliquis oculis & non rectâ tuentes, etiam quæ recta ſunt, recta non vident: ſive quòd rumuſculos & gloriolam captantes, de aliorum ſpoliis ditari appetunt, & aliorum ruinis ſuper extrui, id quod apparet in novellis quibuſdam noſtrorum temporum Apoſtolis, qui ferè rumpuntur invidiâ: hinc enim eſt, quòd Doctrinæ, quòd moribus, quòd diſciplinæ, quòd converſationi majorum ſuorum paſſim obloquuntur, & catellis ſimiles, non in lupos, ſed in gregum cuſtodes moloſſos, ipſoſque aliquandò Paſtores oblatrare audent, magno fidelium ſcandalo. Zelus ne iſte diſciplinæ eſt-an invidiæ? atqui ſe ferunt iſti pro Pauli imitatoribus, ergo vel Paulus invidus fuit, vel iſti tales non ſunt quales ſe ferunt eſſe? verùm, ut demus, pronam eſſe ad reprehenſiones invidiam, non ideò tamen reprehenſores omnes habere oportet pro invidis, quia eſt aliqua fraterna correptio, quæ charitatis opus eſt, non invidiæ. De novellis Apoſtolis, quo zelo ducantur in reprehenſionibus ſuis, nihil diſputo; hoc ſolùm precor, ut Pauli zelum habeant, ſed ſi Pauli zelum iſti non habent, habeamus nos, fratres, firmitudinem & patientiam Petri, *Expectantes donec veniat dies Domini, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.* 1. *ad Cor.* 4.

De ambitu æqualitatis cum Petro nova pariter & erubeſcenda calumnia eſt, ſi ſcirent Hæretici calumniatores erubeſcere. Nam quæro, quam tandem æqualitatem Paulus ambierit? an ætatis? atqui cæteros Apoſtolos appellat anteceſſores

Calumnia ambitûs Paulo facta quàm ſit erubeſcenda hæreti-

ſuos, ſeque nominat *abortivum*, hoc eſt, ſuperinductum, & per gratiam extra numerum Apoſtolorum Senatui aut Collegio ſociatum? an æqualitatem ſanctitatis & meritorum? ſed toto pondere humilitatis ſuæ reluctatur, & reclamat, *ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus.* An æqualitatem ordinis & dignitatis, de quo ſolo hic agimus? atqui primatum Petri Paulus agnovit; nam & Petrum convenit, & conſuluit, & approbationem Evangelii ab eo petiit, idque ut ait ipſe, *ne in vacuum currere, aut cucurriſſe*, putaretur, probè ſciens eſſe in Petro Apoſtolici ordinis principatum, undè omnis legitima miſſio, omnis Eccleſiarum communicatio, omnis Evangelicæ Doctrinæ propagatio ducenda eſſet. Quæro iterùm, ſi Paulus æqualitatem cum Petro ambiit, quæ ſigna dederit ambitus ſui? ajunt calumniatores, multum eſſe Paulum in comparationibus, quaſi nihilò inferior, aut etiam ſuperior cæteris Apoſtolis videri velit. *In quo quis audet, audeo & ego, Hæbræi ſunt & ego, ſemen Abrahæ ſunt & ego, Iſraelitæ ſunt & ego, miniſtri Chriſti ſunt, ut minùs ſapiens dico, plus ego.* Num hæc verba hominis ſunt, æqualitatem aut prælationem ambientis? omninò non ſunt, mihi credite, ſed Paulinæ illæ comparationes in ſpeciem ſuperbæ de zelo divinæ gloriæ, non de ambitione deſcendunt. Intelligebat nimirùm Paulus, contemni ſe à multis in miniſterio verbi, ſeu propter *præſentiam corporis infirmam* puſillamque ſtaturam, erat enim *tricubitalis* homunculus, ut appellatur à Chryſoſtomo, ſeu propter imperitiam Græci Sermonis, nam Hebræus inter Græcos non niſi balbutiebat,

[Margin: eis calumniatoribus. 1. ad Cor. 15. — 1. Ad Cor. 15. — Ad Gal. 2. — 2. ad Cor. c. 11.]

ſeu propter Apoſtolatus novitatem, erat enim omnium minimus & abortivus Apoſtolus. Iſtum autem contemptum ſui, cum verti videret in detrimentum Evangelii, neceſſe interdùm habebat commendare ſe, ſuumque Apoſtolatum, quò ſcilicet eâ commendatione inſtructior ad perſuadendum Evangelii miniſter accederet. Hæc eſt vera cauſa comparationum Pauli, zelus divinæ gloriæ, non ambitus humanæ: Dicamus hic quod res eſt. Non eſt iſte ambitus Pauli, ſed aliquorum de ſucceſſoribus Pauli; iſti, qui ferè ſunt de Eccleſiâ Orientali & ſchiſmaticâ, Paulum æquiparant Petro, & Paulinam reprehenſionem in argumentum æqualitatis aſſumunt. Non enim minor, inquiunt, reprehenderet majorem, ergo cum Paulus Petrum reprehenderit, Paulus Petro minor non fuit; ambitioſi ſcilicet & callidi argumentatores, Pauli cauſam cùm agere videntur, agunt ſuam: cùm enim ſeſe dicant ſucceſſores Pauli, eodem jure, ut ipſis quidem videtur, quo Romani Pontifices, dicunt ſe ſucceſſores Petri, ex conſtitutâ ſemel Petrum inter & Paulum æqualitate, conſequens putant, ut ſit inter utriuſque ſucceſſores æqualitas, ac proindè ſupra cæteros Epiſcopos Romanus Epiſcopus nihil habeat: ita per caput Pauli quod demulcent, abciſſumque reſtituunt, bicipitem faciunt Eccleſiam, Romanæ ſedis primatum convellunt, hæreſim dominationis & independentiæ introducunt. Non eſt hîc locus iſtius hæreſis refutandæ; hoc ſolum obſervaſſe ſufficiet, ei minimè favere factum Pauli Petrum reprehendentis; quia neceſſe non eſt, ut in reprehendente ſit æqualitas cum reprehenſo; abſolutè enim poteſt minor re-

Quorſùm ſe ipſe Paulus commendat, & Apoſtolatum ſuum.

Non eſt iſte ambitus Pauli, ſed aliquorum de ſucceſſoribus Pauli.

prehendere majorem, ergo quòd Paulus Petrum reprehenderit, malè inferunt eum cum Petro æqualitatem habuiſſe, aut etiam ambiiſſe.

Calumnia ſuperbæ cujuſdam audaciæ in Paulo Petri reprehenſore quàm vana ſit.

Sed ſi Paulus fuit minor Petro, quo tandem jure Petrum reprehendit? in quâ poteſtate id fecit? nam ſi Petrus fuit ſuperior Paulo, jus quoddam habuit ne à Paulo reprehenderetur; Paulus autem peccavit contra tale jus; ergo fuit in Paulo reprehendente ſuperba quædam & culpabilis audacia. Quid dicemus ad hæc? dicemus, nullam omninò in Paulo reprehendente fuiſſe audaciam culpabilem; id quod tripliciter intelligi poteſt.

Nam ſine ſuperbiâ potuit Paulus reprehendere Petrum.

Primò. Ex mandato Dei extraordinatio.

Secundò. Ex conſenſu ipſius Petri.

Lib. 28. Moral. c. 12.

Primò. Si Paulus Petrum reprehenderit de mandato Dei extraordinario, ſeu, ut loquitur Petrus Damiani, *ex obedientiâ ad ſuum priorem*, ita enim Paulina reprehenſio non ſuperbæ audaciæ res fuerit, ſed humilis obedientiæ. Secundò. Si Paulus id fecerit de conſenſu Petri, Paulum inferiorem pro ſuo monitore acceptantis; nam ſi Pontifex poteſt ultrò & volens permittere cauſam ſuam judici inferioris poteſtatis, potuit ſine dubio Petrus, ex quâdam permiſſione & diſpenſatione juris, ſubmittere ſe Paulo reprehendenti, &, quod pulchrè ait Gregorius Magnus *fieri ſequens minoris ſui, ut in hoc etiam præiret, & qui primus erat, in apoſtolatus culmine, primus eſſet in humilitate.*

Tertiò. Ex communi lege charitatis extra mandatum Dei extraorditium aut

Tertiò. Citra mandatum Dei extraordinarium, citra omnem Petri conſenſum, potuit Paulus Petrum reprehendere jure naturæ, & ex lege communi charitatis; poteſt enim quiſque & debet reprehendere proximum ſuum, quoties neceſſe eſt, vel in privatum ipſius bonum, vel in commune

bonum aliorum: neque exceptionem facit ætatis gradus, aut ordinis differentia. Quidni ergo dicatur Paulus, cum Petrum reprehendit, officium charitatis præſtitiſſe, exemplumque dediſſe poſteris ſimilis officii. Certè id ipſum quod Paulus præſtitit Petro, ſucceſſoribus Petri deinceps per omnes ferè ætates fideles & generoſi ſubditi præſtitere. Nam, ut paucos commemorem de multis, magnus Irenæus, Victorem reprehendit, quòd Aſianos Epiſcopos in traditione Quartadecimanorum obſtinatos paulò ſeveriùs à communione arceret. Stephanum Cyprianus & Firmilianus reprehenderunt, quòd legatos Concilii Iconienſis inauditos, & cauſâ indictâ repuliſſet. Zephyrinum Praxeas acriter monuit, ne Montaniſtas habere pergeret pro viris bonis, eiſque, quas dare parabat pacificas literas, ne daret. Marcella Romana non minùs docta, quàm pia fœmina Siricii Pontificis nimiùm boni ſimplicitatem accuſavit, quòd foveret Origeniſtas. Zozymum reprehenderunt Epiſcopi Africani, quòd Pelagium & Celeſtium utriuſque fictâ confeſſione deceptus Romæ vivere pateretur, plùs credens *duobus carioſis hæreticis*, quàm duobus Africanorum Patrum Conciliis. Fecerunt iſti quod fecerat Paulus, præivit Paulus, iſti ſequuti ſunt, fuerunt omnes reprehenſores majorum ſuorum, neque hinc propterea ſuperbiæ, aut temeritatis notam ullam incurrerunt: nihil ergo eſt, quòd Paulus ex ſuâ reprehenſione ſimilem notam incurrat. Hîc moneo, quod iterùm iterúmque monendum eſt, reprehenſionem majoris à minore faciendam, officii genus eſſe invidioſiſſimum, & periculi plenum, in quo tria

Petri conſenſum.

Quod charitatis officium Paulus Petro præſtitit, præſtitere deinceps Petri ſucceſſoribus ipſorũ ſubditi, idque ſine notâ ſuperbiæ.

Reprehenſio tamen majoris à minore in-

vidioſum officium eſt & periculi plenum in quo tria obſervanda ſunt, neceſſitas, utilitas & modus.

præſertim obſervanda ſunt, neceſſitas, utilitas, & modus. Neceſſitas quidem. Nam ſi ſuperior emendare ſe ipſe poſſit, aut ab alio majore emendari, abſtinere debet minor à reprehenſione majoris. Utilitas verò. Nam ſi nulla privatæ emendationis, aut boni publici ſpes affulgeat, reprehenſio prætereunda eſt. Deniquè magnâ cautione opus eſt in modo reprehenſionis: nam captare oportet, & molles aditus, & tempora mollia, & opportunitatem loci, totumque reprehenſionis negotium modeſtè ac reverenter, clam & ſine arbitris fieri debet: magnatum enim publicæ reprehenſiones violenta ferè remedia ſunt, quibus exaſperantur vulnera, non curantur. Quippè omnis poteſtas facilè irritabilis eſt, & medentis manum ægrè admittit. Undè Auguſtinus Petri reprehenſi tantoperè commendat exemplum. *Sanctius*, inquit, *& rarius exemplum Petrus poſteris præbuit, quo non dedignarentur à poſterioribus corrigi, quàm Paulus, quo confidenter auderent minores majoribus pro defendendâ veritate ſalvâ charitate reſiſtere.*

*Epiſt.19. ad Hieron.*

Contra quem modum non peccavit Paulus privatâ reprehenſione non contentus.

Hîc Porphyrium, aut Porphyrianum aliquem iterùm muſcitantem audio. Paulus, inquit, ſi non in ſubſtantiâ, peccavit ſaltem in modo reprehenſionis; quia, & ordinem fraternæ correptionis invertit, & modeſtiæ terminos longè exceſſit. Nam cur privatam monitionem non præmiſit? cur unum duoſve teſtes non adhibuit? cur Petro in faciem reſtitit? cur Petri factum deinceps vulgavit, & Galatarum Eccleſiæ tranſmiſit? hæccine fuit modeſta charitas, an impudens procacitas. O quiſquis es qui ſic objicis, agnoſco in te Porphyrianam ſeu impudentem procacitatem,

procacitatem? agnoſce tu Paulinam & modeſtam charitatem? agnoſce reprehenſiones publicas interdùm neceſſarias eſſe, quia ea eſt natura morborum, ut lenta remedia non ferant, totum ordinem medicæ artis invertant, extraordinarias curationes requirant. Atqui hujuſmodi fuit morbus, cui Paulus publicæ reprehenſionis remedium applicabat. Non reprehendebatur Petrus, Petri ſolius causâ; nam ſi Petri ſolius causâ reprehenderetur Petrus, nihil opus haberet publicâ reprehenſione, facilis emendari privatâ; ſed reprehendebatur Petrus causâ fidelium, ut in Paſtoris vulnere ac livore oves morbidæ ſanarentur. Ingrediamur, ſi libet, ſanctuarium Pauli, totumque artificioſiſſimæ charitatis myſterium penitùs ſcrutemur. Duo præſertim ſpectabat Paulus, bonum gentium ſimul & Judæorum, utrumque populum *lactans gemino ubere charitatis.* Ac primò quidem toto vigore Apoſtolatus ſui nitebatur, ne Gentiles crederent, ſe lege Moſis teneri, contra id quod in Concilio Hieroſolymitano definitum fuerat. Sed quia plùs poterat exemplum Petri Judaizantis, quàm authoritas Concilii definientis, & novellos in fide Chriſtianos vehementiùs movebat, quod faceret Petrus, quàm quod Apoſtoli definiiſſent; neceſſe judicavit Paulus Petro Judaizanti in faciem reſiſtere, & præpotenti nimiùm Petri exemplo publicæ reprehenſionis velut obicem opponere: ut ſcilicet, quod egregiè notat Chryſoſtomus, *objurgato & obticeſcente magiſtro, faciliùs Diſcipuli ſententiam mutarent, ac Judaizare dediſcerent.* 2°. Eandem ipſam reprehenſionem ſuam referebat Paulus in bonum Judæorum; qui ferè

Quia publicam videbat eſſe neceſſariã.

Tum in bonum gentilium.

*In cap. 2. Epiſt. ad Gal.*

Tum in bonum ipſo-

rum Judæorum. omnes, quòd circumciſi eſſent, putabant ſe debitores univerſæ legis. Definierant quidem Apoſtoli, Gentiles ad fidem converſos legis onere non gravari, ſed Judæorum nullam mentionem fecerant; ſive quòd Judæorum libertas nondùm ſatis maturo examine eliquata, nondùm ſatis patebat, ſive quòd veritas adhuc diſſimulanda videbatur, ne offenderentur Judæi paternarum traditionum æmulatores tenaciſſimi. Hîc vero Paulus non ultrà diſſimulandum ratus, & propalandæ veritatis præclaram occaſionem nactus, reprehenſionem ſcilicet publicam Petri Judaizantis, Petrum increpat, non quòd Judaizaret Judæus, ſed quòd gentes Judaizare cogeret, ipſe, qui Judæus cum eſſet, eximeret ſe interdùm à lege, & cum Gentilibus gentiliter viveret. *Si tu Judæus cum ſis gentiliter vivis, & non Judaicè, quomodo gentes cogis Judaizare.* Quâ increpatione Judæis ſignificabat hunc eſſe ſenſum Petri, ne Judæos quidem ipſos lege Moſis ultrà teneri, & ſi nunc Judaizaret, id eum facere, non ex neceſſitate, ſed ex prudenti diſſimulatione, & molli quâdam in ſuos indulgentiâ. Quæ res mirificè valebat ad Judæos Petro Apoſtolo ſuo arctiùs devinciendos. O induſtriam, & charitatem Apoſtoli! ô innocentem dolum, ſanctamque aſtutiam! pro quâ, ſi vellet, plaudere ſibi ipſe poſſit his verbis. *Cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi.*

*Ad Gal. c. 2.*

Artificioſa charitas Pauli in ſuâ reprehenſione.

*2. ad Cor. c. 12.*

Hinc videtis, A. A. id quod extremo loco propoſueram pro Pauli defenſione, nihil eum leviter aut inconſideratè feciſſe. Sed video ego ſcrupulum laboremque veſtrum: nam ſi Paulus nihil leviter aut inconſideratè fecit Petrum re-

Nulla igitur fuit culpa Pauli reprehendentis, ſed indè videtur ſe-

prehendendo, fuit aliquid in Petro quod Paulus reprehenderet; ſed ſi fuit in Petro quod Paulus reprehenderet, fuit aliqua culpa Petri reprehenſi: nos autem ſuprà ſtatuimus nullam eſſe culpam Petri reprehenſi; ergo quæſtionem non explicamus, ſed implicamus magis ac magis, ipſoque ſolvendi conatu, nodum arctiùs ſtringimus. Huc vos præcipuè experrectos & attentos volo, dum nodum expedio, duo hæc difficillima concilians in hâc tertiâ Diſſertationis parte, & nullam eſſe Petri reprehenſi culpam, & juſtam eſſe Pauli reprehenſionem. Pro quâ concordiâ

qui fuiſſe aliquã culpam Petri reprehenſi contra ac ſupra ſtatutum fuit.

Tertia. Diſſertationis pars in quâ hæc duo conciliantur, & nullam eſſe Petri reprehenſi culpam, & juſtã Pauli reprehenſionem.

Dico 1°. Etiam ſi nulla fuerit culpa moralis Petri, potuit eſſe in Petro quod Paulus reprehenderet: nam eo ipſo nulla eſt culpa moralis, quod nulla eſt mala voluntas operantis; non enim eſt culpa moralis ſine malâ voluntate: atqui etiam ſi nulla fuerit mala voluntas Petri Judaizantis, potuit eſſe in Petro quod Paulus reprehenderet, quia potuit Petrus ſine malâ voluntate, facere actionem materialiter malam, cujuſmodi actionem ſi feciſſet Petrus, juſtam Paulo dediſſet reprehenſionis cauſam: nam quæ materialiter mala ſunt, etiam ſi ignoranter & ſine malâ voluntate fiant, meritò reprehenduntur. Sed quia nos à Petro culpam omnem ſeu formalem ſeu materialem removimus.

Nam primò ſecluſâ culpâ morali, ſeu malâ voluntate Petri operantis; poteſt concipi fuiſſe in Petro aliquid dignũ reprehenſione, actio nimirùm aliqua materialiter mala; quæ tamen in Petro reipſâ non fuit.

Dico ulterius 2°. Sine ullâ Petri culpâ ſeu formali ſeu materiali, intelligi poteſt quomodo Paulus Petrum rectè reprehenderit. In actione humanâ tria ſunt quæ aliquam reprehenſionem fundare poſſint. Primum eſt mala intentio operantis. Alterum natura ipſius actionis, ſive ex ſe, ſive ex circumſtantiis mala ſit. Tertium ma-

lus aliquis ſeu ſiniſter eventus actionem ſequens: nam indè habet actio ut ſit & denominetur reprehenſibilis, undè habet ut ſit & denominetur mala; atqui actio habet ut ſit & denominetur mala non modo ex intentione operantis, aut ex naturâ ipſius actionis, ſed etiam ex malo eventu actionem ſequente; ergo quamvis actio Petri Judaizantis ſupponatur non eſſe reprehenſibilis ex intentione Petri operantis, aut ex ipſius actionis naturâ, fieri poteſt, ut ſit reprehenſibilis ex eventu, ſi nimirùm ſiniſtrum aliquem eventum habuerit, qualem reipſâ habuit: nam ex illâ ſegregatione Petri à Gentilibus, ſequebatur magnus error Gentilium in materiâ fidei, & vehemens in omnibus propenſio ad Judaizandum: quod utrumque reprehenſibile erat, & actionem Petri reprehenſibilem denominabat. Sedebat Petrus, Viri clariſſimi, ſedebat Petrus in naviculâ gubernaculum tenens, Paulus naviculam remo ducebat; cùm ecce in medio curſu ad vitandum prominentem ſcopulum, Petrus tantiſper à lævâ deflectens, fortè ad cautem ſubtùs in aquis latentem, naviculam allidit, non ſine aliquo naufragii periculo. Rem ubi ſentit Paulus indignabundus, *perimus*, exclamat, *quid facis Petre*? totoque impetu remi, & manu ſimul gubernaculo admotâ naviculam latenti cauti ſubducit. Habetis imaginem Pauli, Petrum nullatenùs culpabilem, rectè tamen reprehendentis: nam Petrus quidem navim regebat ex arte, & ſecundùm nauticæ regulas; periculum tamen naufragii, cui navim expoſuerat ſine ullâ culpâ ſuâ Paulinæ reprehenſioni locum dabat; ergo ſine ullâ culpâ Petri intelligi poteſt quomodo Paulus

Secundò. Sine ullâ Petri culpâ ſeu formali ſeu materiali poteſt intelligi quomodo Paulus Petrum rectè reprehenderit.

Nam quãvis nec Petri intentio, nec actio ipſa mala eſſet ſecundùm ſe aut ex circumſtãtiis, eventum tamen ſiniſtrum habebat, errorem ſcilicet Gentilium, & in materiâ fidei magnam in omnibus propenſionem ad Judaizandũ: quod utrũque reprehenſibile erat & actionem Petri deno-

Petrum rectè reprehenderit. Sed rem iſtam ponamus adhùc in meliori lumine. Cogitate, ſi lubet, Petrum Imperatoris inſtar, ſub quo militat Paulus præfectus copiarum inferior. Totus eſt Petrus in cornu dextro, quia eâ parte futuram putat maximam impreſſionem hoſtium, ſed, quæ belli ludificatio eſt, in ſiniſtrum cornu tota vis hoſtium convertitur, ita ut frangi ac cedere jam incipiat. Hîc Paulus ſiniſtrum cornu tenens ad periculi magnitudinem exterritus, effuſis, ut ita dicam, citatiſſimis Zeli habenis Petrum adiens, ***Frangimur***, exclamat, ***ad nos, Petre, ad nos? quid moraris in cornu dextro, quem in ſiniſtro eſſe oporteret?*** Videtis, Auditores, in acie diſponendâ, ita nullam fuiſſe culpam Petri imperatoris, ut tamen propter infelicem diſpoſitionis eventum, à Paulo inferiore Præfecto reprehendi meruerit.

minabat reprehenſibilem.

Fit res ſenſibilis duplici ſimilitudine. & Navarchi & Imperatoris.

Objicitis. Infelicem illum eventum vel præviderat Petrus, vel non præviderat, utrumvis dicatur, videtur eſſe in culpâ, vel Petrus reprehenſus, vel Paulus reprehendens: nam ſi Petrus Gentilium errorem non prævideriť, fuit in Petro ignorantiæ culpa, debuit enim prævidere; ſi autem prævideriť, fuit in Petro ſaltem culpa negligentiæ, quia malum eventum non impediit, cùm impedire debuit; quod ſi Petrus nec prævidere debuit, nec impedire, non apparet quo titulo ex illo eventu reprehenſibilis ſit. Objectioni veſtræ ut reſpondeam.

Dico 3°. Intelligi poteſt quomodo Petrus infelicem illum eventum non prævideriť ſine ullâ ignorantiæ culpâ. Ratio eſt, quia non omnis ignorantia culpabilis eſt: nam earum rerum quas

Nam ſi ſiniſter ille eventus ex Petri actione ſequens

potuit non præviderì à Petro abſque ullâ ignorantiæ culpâ.

nec ſcire poſſis, nec debeas, ignorantia nullam culpam habet: atqui ignorantia iſtius eventus fuit hujuſmodi; error enim Gentilium & vehemens ad Judaizandum propenſio, præter omnium expectationem evenit. Nam quis prudens crederet, Gentiles, contra Apoſtolorum definitionem, contra prædicationes Pauli, contra exemplum Petri gentiliter viventis, ex uno Petri Judaizantis exemplo, ad Judaizandum tantoperè impulſum iri. Hoc certè nec potuit Petrus prævidere, nec debuit, ac proindè ignorare potuit ſine ullâ ignorantiæ culpâ.

Potuit item præviderì à Petro abſque ullâ culpâ negligentiæ.

Dico tamen 4°. Etiam ſi Petrus infelicem illum eventum præviderit, nulla fuit in Petro negligentiæ culpa, quia fieri poteſt, ut in ſtaterâ, ſeu judicio Petri, offenſio ſeu defectio Judæorum præponderarit errori Gentilium. Ergo quòd permiſerit Petrus errorem Gentilium ad vitandam offenſionem, ſeu defectionem Judæorum, prudentiæ fuit, non negligentiæ.

Sed ſive illum præviderit Petrus, ſive non præviderit, fuit reprehenſibilis Paulo, quia in ſtaterâ Pauli error Gentilium præponderabat offenſioni Judæorum.

Dico ultimò. Sive præviderit Petrus, ſive non præviderit eventum illum infelicem, fuit reprehenſibilis Paulo. Ratio eſt, quia hoc ipſo Petrus fuit reprehenſibilis Paulo, quòd Paulus habuit cauſam rationabilem reprehendendi Petrum; ſed Paulus cauſam habuit rationabilem reprehendendi Petrum: ſiquidem in ſtaterâ Pauli error Gentilium præponderabat offenſioni Judæorum, ſeu prudenter judicabat Paulus, errorem Gentilium gravius aliquid eſſe offenſione Judæorum: habebat igitur Paulus cauſam rationabilem judicandi Petrum feciſſe aliquid, quod fieri non oportebat; ergo habebat idem rationabilem cauſam dicendi Petro, *id feciſti quod fieri*

*non oportebat* , hæc autem dicere Petro, eſt formaliter Petrum reprehendere. Sed ſtat nihilominus Petrum prudenter feciſſe Judaizando, quia in ſtaterâ Petri offenſio Judæorum præponderabat errori Gentilium : atque hinc intelligi poteſt, quod pauci intelligunt, interdùm ſanctos viros exercere bellum utrimque juſtum, ita ut quod unus prudenter fecit, reprehendatur prudenter ab altero; quia habuit unuſquiſque ſtateram ſuam, unuſquiſque judicium prudens ſequutus eſt.

Ut in ſtaterâ Petri offenſio Judæ rum præponderabat errori Gentilium.

Uter verò Petrus an Paulus veritatem in judicio attigerit, nam utriuſque judicium potuit eſſe prudens, utriuſque verum eſſe non potuit, ſi quæritis, nihil definio quidem, ſed propendeo totus in Paulum. Primò. Quia Petrus dicitur *non rectè ambulaſſe ad veritatem Evangelii.* Nam ambulabat Petrus, uti credebat ambulandum eſſe, quo tamen modo ambulandum non erat, ac proindè errabat in electione medii alicujus neceſſarii ad puritatem Evangelii in Gentilium mentibus conſervandam. 2°. Quia dicitur Petrus *reprehenſibilis.* Ergo id fecerat Petrus quod fieri non oportebat : nam ſi reipſâ id fecerat quod fieri oportebat, jam non erat reprehenſibilis abſolutè; ſed ad ſummum reſpectivè, & ſecundùm judicium Pauli. 3°. Quia Petrus à Paulo monitus ſtatim acquievit ex novarum circumſtantiarum inſtructione ſententiam mutans. Quæ res, ut obſervant Patres, magno Præſidibus exemplo eſt, ne nimis abundent in ſuo ſenſu, & in præjudicatis opinionibus obſtinatiùs hæreant; cùm enim illi alienis ferè oculis videant, & alienis auribus audiant, facilè fit, ut ex falſis informationibus falsò judicent.

Paulus verò credendus eſt in ſuo judicio veritatē attigiſſe. Seu quia non rectè ambulaſſe dicitur Petrus. *Ad Gal. c. 2.*

Seu quia dicitur reprehenſibilis.

Seu quia monitus à Paulo ſtatim acquievit.

Quarta pars.

Explicui hactenùs quemadmodùm intelligatur uterque Apoſtolus vacare culpâ,& duo hæc difficillima conciliavi, nullam eſſe Petri reprehenſi culpam,& juſtam eſſe Pauli reprehenſionem,nunc pro totius diſputationis clauſulâ obſervate, amabo, quàm fuerint Apoſtoli in ſuâ diſcordiâ concordes. Nam 1°. Una fuit amborum fides:quòd enim Petrus dicitur non rectè ambulaſſe ad veritaté Evangelii,ſenſus non eſt eum erraſſe, aut non rectè ſenſiſſe in fide, ſed veritatem diſſimulaſſe, nec eo modo ambulaſſe,quo ambulare oportebat, ut veritas Evangelii in puſillorum animis illibata ſervaretur.Notata ergo fuit in Petro non obliquitas fidei, non obliquitas voluntatis, non obliquitas actionis,ſed obliquitas,ſeu infelicitas eventûs, quatenùs Petro Judaizante factum eſt,ut Gentiles neceſſariò Judaizandum eſſe crediderint. 2°. Una fuit amborum voluntas : ambo in eundem ſcopum collimabant,ambos Chriſti charitas urgebat, ambo animarum ſalutem, & divinam gloriam magno Zelo quærebant. 3°. Una fuit, ſeu uniformis amborum converſatio : nam ut Petrus modò gentiliter vivebat,modòJudaicè,pro rerum ac temporum oportunitate, ita & Paulus *omnibus omnia factus*, ut omnes Chriſto lucrifaceret. 4°. Una fuit in ambobus cauſa moriendi, unumque Marryrium, eodem die, eodemque loco feliliciter conſummatum.Concludamus in utriuſque laudem Magni Leonis verbis. *Ambos Dei gratia in tantum apicem provexit, ut inter omnia Eccleſiæ membra in corpore cui caput eſt Chriſtus, veluti geminum conſtitueret lumen oculorum, de quorum meritis atque virtutibus nihil diverſum, nihil debemus ſentire diſcretum, quia illos & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales,*

Apoſtoli in ſuâ diſcordiâ concordes.

Nam primò. Una fuit amborum fides.

Secundò. Una amborum voluntas.

Tertiò. Una amborum converſatio,

Quartò. Una in ambobus cauſa moriendi, unumque Martyrium.

*Serm. 1. de Natal. Apoſt.*

# DE
# ZOZIMO
# PONTIFICE
## IN CAUSA PELAGII & Cæleſtii.

---

## DISSERTATIO THEOLOGICA.

*Romanam Eccleſiam fallere uſquequaquè non potuit.* Ita de Cæleſtio Pelagii Diſcipulo Auguſt. lib. de Pecc. Orig. c. 8.

PElagius ſeu Scotus, ſeu Britannus, profeſſione monachus, multis, ut hæreticorum mos eſt, ſtatim illuſit præclarâ ſpecie ſanctitatis, & quod mirum videri poſſit, ipſi etiam ſagaciſſimo Auguſtino, hominem alicubi appellantis *virum ſanctum, ac non parvo profectu Chriſtianum.* Erravit autem Pelagius in eo quòd crederet naturam ſibi ſufficere ad ſalutem, illam Salluſtii ſententiam ad nauſeam uſquè commemorans *fruſtra queritur de naturâ ſuâ genus humanum.* Diſcipulum habuit Cæleſtium auda-

Quis fuerit Pelagius.

*Lib. 3. de peccat. mer. & rem. c. 1.*

Error Pelagii.

Erroris fontem aperuit Cæleſtius Pelagii Diſcipulus negando peccatum Originale.

*In carmine de ingratis.*

ciorem Magiſtro ; is enim fontem & caput erroris ſine rubore aperiens , negavit peccatum Originale , Adamum , ajens ſibi ſoli & non poſteris nocuiſſe peccando : ex quo inferebat naturam adhùc integram ſatis habere virium ad ſalutem faciendam , & poſſe, quod ait Proſper , *quemque mereri libertate ſuâ , ut capiat promiſſa vocantis.* Benè autem , an malè ſic inferret Cæleſtius , nihil hîc diſputo , ſed memini me ſuperiore anno ſtatuiſſe impotentiam hominis ad beatitudinem ſuis viribus conſequendam , non ſoli ægritudini naturæ lapſæ , ſed naturæ creatæ imperfectioni tribuendam eſſe ; poſſeſſio enim Dei eſt ſupra meritum & conditionem omnis naturæ creatæ : quia melior eſt conceptus Dei , ſi cuicumque creaturæ poſſeſſionem ſui donet, donando favorem faciat. Atque hoc eſſe dicebam altum neceſſitatis gratiæ fundamentum.

Utrique ſeu Pelagio ſeu Cæleſtio mille artes tegendi erroris ſui.

*Epiſt. ad Cteſiph.*

Multiplex de utroque judicium.

Cæleſtius damnatus Carthagine.

*Aug. lib. 2. de Peccat. Orig. & de geſtis Pelag. c. 22.*

Fuerunt utrique , ſeu Diſcipulo , ſeu Magiſtro mille artes tegèndi erroris ſui , mille æquivocationes , tergiverſationes mille , adeo ut diceret Hieronymus. *Hanc eſſe ſolam Hæreſim quæ publicè loqui erubeſceret , quod ſecretò tradere non timeret.* Sed quia nihil occultum eſt quod non reveletur , latere diu non potuerunt : mox autem ut detecti ſunt , mirum eſt quanto Catholicorum zelo exagitari ubique cœperint. Cæleſtius quidem à Paulino Diacono Carthaginenſi accuſatus *dignam* reportavit *ſuâ perverſitate ſententiam* , Synodali enim judicio excommunicatus eſt. Pelagius verò agentibus duobus Epiſcopis Gallicanis,Herote Arelatenſi, & Lazaro Aquenſi, Dioſpoli in Paleſtinâ cauſam dixit coram quatuordecim Epiſcopis ; ſed cùm ad ſingula capita

ſubdolè reſpondiſſet, partim interpretans, partim etiam damnans quæ dixerat, à Synodo abſolutus eſt, quam propterea *miſerabilem Synodum* Hieronymus appellavit. Paulò poſt cùm Oroſius in Africam reverſus, Herotis & Lazari litteras Africanis Epiſcopis obtuliſſet, duo ſtatim Concilia celebrata ſunt, unum Carthagine, Milevi alterum, in cauſâ Pelagii & Cæleſtii: ſcripſere utriuſque Concilii Patres ad Innocentium rogantes, *ut ſtatutis mediocritatis ſuæ*, ſic enim loquuntur, *etiam Apoſtolicæ ſedis adhiberetur authoritas pro tuendâ ſalute multorum & quorumdam perverſitate corrigendâ*: Utriſque reſpondit Innocentius, & in reſcripto ad Patres Milevitanos Pelagium Cæleſtiumque nominatim damnavit, his verbis. *Pelagium Cæleſtiumque inventores vocum novarum, quæ, ſicut dicit Apoſtolus, ædificationis nihilum, ſed vaniſſimas conſueverunt parere quæſtiones, Eccleſiaſticâ communione privari, Apoſtolici vigoris authoritate cenſemus. Hæc igitur, fratres Chariſſimi, maneat fixa ſententia, abſint atriis Domini, careant cuſtodiâ Paſtorali, ne duarum ovium dira contagia ſerpant ſtatim per vulgus incautum.* Hæc Innocentius I. ſententiâ ſuâ utrumque novatorem feriens; quam cecinit magnificè Proſper in carmine de ingratis, *peſtem ſubeuntem prima recidit ſedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis, relligione tenet.*

Pelagius Dioſpoli malè abſolutus.

Damnantur ambo In Concil. Carthagin. & Milevit.

*Epiſt. Conc. Carthagin.*

Utrumque nominatim damnavit Innocentius & excommunicavit

*In reſcript. ad Patres Milevit. Epiſt. 99. apud Aug.*

Neque tamen huic ſententiæ acquievere homines inquieti, à Pontifice ad Pontificem appellarunt; Pelagius enim ad Innocentium miſit profeſſionem fidei ſuæ miro artificio compoſitam, cum litteris humillimis, quibus ſe ab objectis

Appellarũt inquieti homines à Pontifice ad Pontificem.

Pelagius fidei ſuæ profeſſionem miſit ad Innocentium. Cæleſtius libellum obtulit Zozimo Innocentii ſucceſſori. Libellum hunc Zozymus pronunciavit eſſe Catholicum, & litteras Pelagii laudavit. Utriuſque cauſâ quaſi malè judicatam retractari volens. Sed fraude intellectâ utrumque damnavit.

purgare conaretur: ſed cùm fortè contigiſſet eo tempore Innocentium mori, Pelagii litteras recepit Zozimus Innocentii ſucceſſor. Cæleſtius autem ſedente Innocentio profugus auditâ illius morte Romam venit apud novum Pontificem meliora ſperans, nec omninò fefellit hominem ſua ſpes: nam Zozymo libellum obtulit tantâ bonæ fidei ſpecie circumveſtitum, ut libellum Zozimus Catholicum eſſe pronunciarit, eodemque tempore lectæ Pelagii litteræ magno Romanorum plauſu, bonum Pontificem adeò perculerunt, ut peſſimos novatores pro viris bonis habuerit, Epiſcopos Africanos graviter reprehenderit, accuſatores Pelagii & Cæleſtii coram ſe citaverit intra ſpatium bimeſtre calumniæ ſuæ rationem reddituros. Quod Zozimi factum magnas in Africâ tragœdias excitavit, hinc ſtupentibus & indignantibus Catholicis, illinc plaudentibus Pelagianis, & ſuum eſſe Pontificem palàm jactantibus. Sed non diu duravit nubiloſa illa rerum facies; nam cùm Cæleſtius ad examen vocatus ſe ſubtraxiſſet, Pontifex, intellectâ demùm fraude, ante diem dictam non expectatis accuſatoribus Pelagium & Cæleſtium damnavit, tùm verò, ut ait Proſper in Chronico, *Per totum mundum Hæreſis Pelagiana damnata eſt.*

Materia controverſiæ præſentis.

Habetis hîc, Viri Clariſſimi, ſummam Hiſtoriæ Pelagianæ, & materiam controverſiæ præſentis. Nam Zozimus, ne quid diſſimulem, in cauſâ Cæleſtii & Pelagii magnum pleriſque ſcandalum eſt; accuſatur à Catholicis, accuſatur à Pelagianis, quæ ferè mediatoris fortuna eſt, utrorumque ictus & querelas excipientis. Tota

autem accuſatio ad tria capita reducitur. Accuſatur. 1°. Quòd libellum Cæleſtii Hæreticum approbaverit. 2°. Quòd cauſam Pelagianorum retractare voluerit. 3°. Quòd cùm Pelagii partem initio foveret, timidus prævaricator deſeruerit, nè Romanis diſpliceret. Zozimum ergo defendere habeo. 1°. A notâ hæreſis approbatæ. 2°. A culpâ imprudentiæ. 3°. A crimine prævaricationis : nec dubito, quin argumentum iſtud vobis acceptiſſimum veniat. Mihi ſaltem imprimis arridet, tum quia honeſtum ſemper eſſe duxi magnis viris patrocinari, & removere ſcandalum puſillorum; tùm quia in toto tractatu de Gratiâ, qui mihi hoc anno obtigit, nihil occurrit inſignius, tum deniquè, quia iſta defenſio, & jucunditatem habet quæ ab Hiſtoriâ venit, nec difficultate caret, quæ magnorum ingeniorum illecebra eſt : multa enim invenio in negotio Zozymi, quæ, ut ſubtiliſſimæ & delicatiſſimæ diſquiſitionis ſunt, ita exquiſitiſſimos judices poſtulant.

Defenditur Zozymus. Primò. A notâ hæreſis. Secundò. A culpâ imprudentiæ. Tertiò. A crimine prævaricationis.

Ut appareat ſtatim præcipua vis accuſationis, ante omnia ſupponere oportet libellum Cæleſtii Zozimo oblatum apertè Hæreticum eſſe, ut patet ex illius fragmentis, quæ apud Auguſtinum extant : quamvis enim Cæleſtius confiteatur Baptiſmum parvulis conferri poſſe in remiſſionem peccatorum, negat tamen apertè peccatum Originale, quâ Doctrinæ cohærentiâ non examino. Fortè ille, quod Juniores Pelagiani dixerunt, Baptiſmum conferri voluit in remiſſionem eorum peccatorum, quæ parvuli ſeu abſolutè ſeu conditionatè facturi erant, ſed quidquid ſit de ſenſu Cæleſtii, libelli textum legamus. *In remiſſionem autem peccato-*

Prima pars Defenſiones. Libellus Cæleſtii Zozimo oblatus apertè Hæreticus erat. Apertè enim negabat peccatum Originale.

*In Libello Cæleſt.*
Ut Patet ex illius fragmento quod refert Auguſtinus.

*rum baptiZandos infantes non idcircò dicimus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longè à Catholico ſenſu alienum eſt; quia peccatum non cum homine naſcitur, quod poſtmodùm exercetur ab homine, quia non naturæ delictum eſt, ſed voluntatis eſſe demonſtratur.*

Hunc tamen Libellum Zozymus approbavit.

Ex quâ approbatione periculum eſt ne animos, capiant hæretici ad elevandam damnationem ſuam per Pontifices factã.

Cur factum Zozimi ferè præterierunt Hæretici noſtri.

Hujus ſilentii cauſa.

Timor aliquis conſequẽtiæ non ſatis favorabilis.

Atqui hunc Cæleſtii libellum Zozimus approbavit & Catholicum eſſe dixit, quod ipſe Auguſtinus non negat, ſed excuſare conatur l. 2. ad Bonifacium contra Epiſtolas Pelagianorum c. 3. & inſinuat Zozimus in fine Epiſtolæ ſuæ ad Africanos, fidem Cæleſtii & Pelagii commendans in libello Confeſſionis expreſſam. Ergo Zozimus libellum Hæreticum approbavit. Quod ſi ſemel detur, quantos animos fecerit Hæreticis iſta conceſſio. Exurget ſtatim Bajanus aliquis aut Janſeniſta, & ſic plauſibiliter arguet. Pronunciavit Zozimus Pontifex Libellum Cæleſtii Catholicum eſſe, qui tamen Hæreticus erat; ergo fieri poteſt, ut Innocentius X. Auguſtinum Janſenii Hæreticum pronunciarit, quamvis Catholicus ſit, neque enim major eſt Pontificis damnantis Authoritas, quâm approbantis. Equidem mirari ſatis non poſſum quòd annis ſuperioribus cum Hæretici à Pontificibus damnati, errores Pontificum, ſeu veros, ſeu falſos importunè obtruderent, Zozimi tamen factum præterierint longè difficilius; ſed mihi hujus rei cauſam inquirenti hæc eſſe videtur. Mirabilis nimirùm conſtantia Auguſtini in acquieſcendo Litteris Innocentii Primi Pelagium & Cæleſtium damnantis, à quibus Litteris dimoveri non potuit per iſtam Zozimi qualemcumque retractationem, quam Julianus objiciebat: viderunt enim

acuti homines ſic poſſe argui. *Acquievit Auguſtinus Litteris Innocentii Primi, non obſtante illo Zozimi facto, ergo & vos acquieſcere debetis conſtitutioni Innocentii decimi, neque movere vos debet Zozimi factum qualecumque illud ſit.* Noluerunt igitur factum Zozimi in nos torquere, ne vehementiùs in ipſos retorqueretur. Verùm Sinamus diſſimulare Hæreticos, ne diſſimulemus nos, ſed Zozimum ab hoc difficili argumento extricemus. *Libellus Cæleſtii apertè Hæreticus eſt; Zozimus Libellum Cæleſtii approbavit; ergo Zozimus Libellum approbavit apertè Hæreticum.* Difficile argumentum contra Zozimum.

Nodum iſtum perplexum ſolvere fortè tentabit aliquis negando præciſè Libellum Cæleſtii approbatum fuiſſe à Zozimo: nimirùm calumniam Zozimo factam à Pelagianis, malum hunc rumorem in Africâ diſſeminatum ad Auguſtinum veniſſe; Auguſtinum, ut erat bonæ fidei, & malam in aliis fidem non ſuſpicabatur crediſſe quod dicebatur, eoque ſe totum applicuiſſe, ut Zozimi dictum excuſaret. Sed modus iſte ſolvendi placere non poteſt; tùm quia parùm liberalis eſt præſertim in Theologo: nam fortè Phyſico cuipiam permitteretur negare experimentum, quo ſua ipſius hypotheſis falſa demonſtraretur, ſed Theologo non item; tùm quia ad defenſionem Zozimi Auguſtinus accuſatur, & nimiæ credulitatis nota ſancto Doctori imponitur; tum deniquè quia, ut demus Auguſtinum primis rumoribus deceptum fuiſſe, potuit deinceps diligentiùs inquirere, inventurus quod erat, ſi inquiſiſſet. Atqui Auguſtinus longo poſt tempore Juliano reſpondens Zozimi dictum confi-

Prima ſolvendi via, negando libellum Cæleſtii approbatum fuiſſe à Zozymo.

Non placet quia & parum liberalis eſt.

Et injurioſa Auguſtino.

*Lib. de Grat. Chr. c. 2.*

*Lib. 1. ad Bonif. c. 3.*

Et parè incredibilis.

tetur, nullo Romanorum reclamante, quorum profectò erat vendicare memoriam ſui Pontificis, Pelagii partem tanto ſuffragio minuere, Catholicis mentibus hunc eximere ſcrupulum, & venturis Hæreticis os obſtruere; nemo tamen reclamavit, nemo Auguſtino contradixit: ergo pro certo tenendum eſt Libellum Cæleſtii dictum fuiſſe à Zozimo Catholicum, & alia via defenſionis quærenda eſt.

Secunda via nodi ſolvendi quâ diſtinguitur in Pontifice perſona privata & publica.

Diſtingui ſolet in Pontifice perſona duplex, una privata, altera publica; eaque diſtinctio perſonarum eò valet, ut privata perſona Pontificis erraverit, non errante publicâ, ſeu quod idem eſt, erraverit Zozimus Pontifex, ut homo privatus, quamvis non erraverit, ut Pontifex. Diſtinctionem rident novatores; ſeu, quia non ſatis eam intelligunt, ſeu quia ea diſtinctio nimiùm utilis eſt ad diluenda ipſorum ſophiſmata, & Pontificiam Authoritatem à privatis Pontificum erroribus vindicandam. Sed, ut verùm fatear, cujuſcumque ſit uſûs illa diſtinctio, nullius eſſe poteſt in cauſâ Zozimi; qui, Libellum Cæleſtii cùm pronunciavit Catholicum, Pontificis, non privati Doctoris perſonam ſuſtineret: ad eum enim Cæleſtius appellaverat, ut Pontificem, non ut privatum Doctorem: eidem, ut Pontifici Libellum ſuæ Confeſſionis obtulerat: conſulebatur Zozimus, ut Pontifex; rogabatur ut Pontifex, ergo ut Pontifex reſpondiſſe credendus eſt; niſi velimus, cùm pulſaretur publica perſona Zozimi, reſpondiſſe privatam; aut, quòd judicibus incautis contingit, præcipitem ei ſententiam excidiſſe, antequam Judex ſederet. Fateamur ergo rationabiliùs Libellum Cæleſtii à Zozimo

Valere non poteſt pro Zozimo qui Libellum Cæleſtii etiam ut Pontifex approbavit.

Zozimo ut Pontifice dictum fuiſſe Catholicum, & aliam nobis diſtinctionem quæramus.

Diſtinguit Abulenſis Epiſcopus, Magnus ille Toſtatus, duplex approbationis genus: alia eſt approbatio generalis, alia ſpecialis. Specialis approbatio dicitur, quæ cadit in ſingulas libri propoſitiones: generalis verò, quæ non in ſingulas partes, ſed in totum librum cadit. Inter utramque autem approbationem plurimùm intereſt: nam ad veritatem quidem approbationis ſingularis neceſſe eſt, ut ſingulæ libri propoſitiones veritatem habeant, ſed approbatio generalis nihil tale poſtulat; nam, ut benè ratiocinatur idem Toſtatus, *Eccleſia approbavit ſanctum Auguſtinum, & ſanctum Hieronymum, & ſanctum Thomam & ſanctum Bonaventuram, Doctores ſibi invicem in multis contradicentes: ex contradicentibus autem neceſſe eſt alterum falſum dicere.* Ergo ſtare poteſt veritas approbationis generalis cum falſitate dogmatis in libro approbato contenti. Quid autem ultra quærimus? finita quæſtio eſt, ſi dicamus, Libellum Cæleſtii à Zozimo fuiſſe approbatum non ſingulari, ſed generali quâdam approbatione; quod ipſemet declarat ad Africanos ſcribens, ait enim *ſe non omnia*, hoc eſt ſingula *approbaſſe*, *quæ Cæleſtius in ſuo libello poſuerat*, ſeu, quod idem eſt, non ſe libello Cæleſtii ſingularem dediſſe approbationem, ſed generalem. Quare, quòd in eo libello falſum aliquod dogma reperiatur, nihil hoc derogat veritati approbationis Pontificiæ. Admitto diſtinctionem Toſtati, quam vobis placere ſubintelligo, eamque puto neceſſariam eſſe ad ſolutionem noſtræ quæſtionis: ſed ita neceſſariam, ut mini-

Tertia via ſolutionis per quam juxta Toſtatum duplex genus approbationis diſtinguitur.

Una ſpecialis, quæ cadit in ſingulas libri propoſitiones.

Altera generalis, quæ non in ſingulas libri partes ſed in totum cadit. *Defenſ. p. 2. c. 81.*

Neceſſaria quidem eſt,

ſed minimè ſufficiens. Quia ad veritatem approbationis generalis requiritur ut in libro approbato nihil ſit rectæ fidei aut bonis moribus apertè contrarium. In libello autem Cæleſtii aliquid erat apertè contrarium rectæ fidei.

mè ſufficiat. Nam demus, quod veriſſimum eſt; approbationem Libello Cæleſtii datam generalem dumtaxat fuiſſe, non ſpecialem; necdum tamen apparet ſtatim illius veritas. Siquidem ad approbationis generalis veritatem requiritur, ut nihil ſit in libro approbato bonis moribus, aut rectæ fidei apertè contrarium. Atqui in libello Cæleſtii eſt aliquid rectæ fidei apertè contrarium, in eo enim apertè negatur *tradux peccati*: Ergo ne approbari quidem potuit approbatione generali libellus Cæleſtii. Damnari quidem poteſt liber aliquis, in quo multa bona ſint & Catholica; ſed approbari non poteſt, in quo unum dogma Hæreticum ſit. Ratio diſcriminis petitur ex ipſâ inſtitutione terminorum, cui inſtitutioni ipſa etiam Eccleſia obnoxia eſt. Nam quid eſt approbare librum, niſi declarare, aut teſtificari, nihil eſſe in libro non Catholicum. Ergo ex hoc approbatio falſa erit, quòd in libro aliquid non Catholicum invenietur. Librum autem damnare, non eſt teſtificari in libro nihil boni eſſe, ſed teſtificari aliquid ineſſe mali; ergo ex hoc libri damnatio vera eſt, quòd liber damnatus aliquid mali habet.

Quarta Solutionis via ex falſo quodam principio Facundi Hermianenſis.

Facundus Hermianenſis in cauſâ trium capitulorum, cùm defendere haberet Concilium Chalcedonenſe, cujus autoritati detrahebant Hæretici Eutychiani, quòd Epiſtolam Ibæ Neſtorianam approbaſſet, eò venit ut diceret, Epiſtolam Ibæ, quamvis Neſtoriana ſupponeretur, approbari à Concilio potuiſſe, ſalvâ Concilii authoritate & veritate. Nimirùm ut ſe habet vita hominum, ita & Doctrina; ergo, inquit, *ut illorum vitam non ex quibuſdam factis culpabilibus im-*

*piam, ſed ex aliis multò pluribus rectis juſtam ſecundùm ſcripturæ Dei teſtimonium judicamus: ita illorum Doctrinam, non ex culpabilibus illorum dictis Hæreticam, ſed ex aliis multò pluribus rectis Catholicam ſecundùm Eccleſiæ Dei teſtimonium judicemus.* Hæc ille, quæ ad defenſionem Zozimi facilè quidem transferri poſſunt. Sed hæc facundum magis aut ingenioſum ſapiunt, quàm ſolidum & accuratum Theologum. Nam erravit Facundus, quòd Epiſtolam Ibæ negaverit eſſe Neſtorianam, cùm & hoc ipſe Ibas confeſſus ſit: erravit quòd eandem dixerit Chalcedone approbatam; de Epiſtolâ enim Ibæ nihil pronunciavit Concilium Chalcedonenſe, Ibâ ſcilicet Epiſtolam ſuam retractante, & Neſtorium Anathematiſante: erravit denique quòd Epiſtolam dixerit approbari potuiſſe à Concilio, etiamſi Neſtoriana fuiſſet. Nam ſi liber aliquis ab Eccleſiâ approbari poſſit eo ſolùm nomine quòd multa Catholica habeat, vix ullus erit Hæreticorum Liber qui approbationem Eccleſiæ non mereatur. Dimiſſo igitur Facundo, ad Auguſtinum veniamus ſubtiliorem ſimul & ſolidiorem.

Malè ſupponit librum ab Eccleſiâ poſſe approbari, eò ipſo quod multa habeat bona; nam ſi ità eſſet, poſſent omnes Hæreticorum libri approbari.

Auguſtinus l. 2. ad Bonifacium c. 3. Pelagianis Zozimum objicientibus duo reſpondet. 1°. Nuſquam Zozimum definiiſſe, ne peccatum Originale crederetur. *Quænam*, inquit, *Epiſtola venerandæ memoriæ Papæ Zozimi, quænam interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere ſine ullo vitio peccati Originalis hominem naſci. nuſquam prorſus hoc dixit, nuſquam omninò conſcripſit.* 2°. Libellum Cæleſtii fatetur Auguſtinus dictum eſſe à Zozimo Catholicum, quia in eo libello Cæleſtius de traduce peccati nihil certi

Quinta via eſt Auguſtini duo reſpondentis pro Zozimo.

Primum. Nuſquam definiiſſe Zozimum ne peccatum Originale crederetur.

Alterum fuiſſe approbatam à Zozimo non falſitatem dogmatis, ſed voluntatem emendationis.

definiebat, ſed dubitantis in morem poſtulabat inſtrui, promittens inſuper ſe conſenſurum Innocentii litteris, & damnaturum quæcumque ſedes Apoſtolica damnaſſet: quare approbationem Zozimi non in falſum Cæleſtii dogma cadere, ſed in voluntatem emendationis, quam Cæleſtius præ ſe ferebat. Pulcherrima ſunt verba Auguſtini, audire ne pigeat. *Sed cum hoc*, inquit, *Cæleſtius in ſuo libello poſuiſſet inter illa dumtaxat, de quibus adhuc dubitaret, & inſtrui ſe velle confeſſus eſt; in homine acerrimi ingenii, qui profectò, ſi corrigeretur, plurimis profuiſſet, voluntas emendationis, non falſitas dogmatis approbata eſt: & propterea libellus ejus Catholicus dictus eſt, quia & hoc Catholicæ mentis eſt, ſi quæ fortè aliter ſapit, quàm veritas exigit, non ea certiſſimè definire, ſed detecta, ac demonſtrata reſpuere.* Agnoſco, viri clariſſimi, ſubtilitatem & ſoliditatem Auguſtini: Agnoſco approbationem Zozimi non fuiſſe definitionem Cæleſtiani dogmatis de peccato Originali; fuit enim, ut jam dictum eſt, approbatio quædam generalis, quæ non eſt definitio ſingularum propoſitionum: Agnoſco approbari potuiſſe ac debuiſſe à Zozimo voluntatem emendationis, quam Cæleſtius præ ſe ferebat; ſed in hâc reſponſione necdum planè acquieſco, ſic enim ulteriùs argumentor. Voluntas emendationis, quam quis præ ſe fert, facere non poteſt, ut liber manifeſtè Hæreticus pronuncietur verè Catholicus: Atqui libellus Cæleſtii manifeſtè Hæreticus eſt; ergo propter voluntatem emendationis, quam Cæleſtius præ ſe ferebat, non debuit Zozimus libellum Cæleſtii Catholicum pronunciare. Minor propoſitio eſt Auguſtini,

Sed in hâc reſponſione non videtur planè acquieſcendum.

Quia voluntas emendatio-

ut patet ex lectione Fragmenti Cæleſtiani ſuprà citati. Major autem ſi vera non eſt, nullus erit liber Hæreticus, qui ab Eccleſiâ approbari non poſſit; dummodo libri author in clauſulâ obedientiam & voluntatem emendationis ſignificet.

Fortè hîc aliquis difficultate fatigatus, & omnem viam defenſionis præcluſam videns, compendio laboris Zozimum rotundè dicet erraſſe, ſed in quæſtione facti, quo in genere nemo dubitat, quin Eccleſia errare poſſit, & aliquandò erraverit. Verùm reſponſio iſta deſperantis eſt, & multa confundentis, quæ diſtinguenda erant. Nam, fateor quidem, quod inferiùs apparebit, eſſe aliquas facti quæſtiones in quibus Eccleſia errare poſſit, ut ſunt cauſæ privatorum, quas Criminales appellant: At in quæſtionibus facti dogmatici, cùm ſcilicet de dogmate alicujus Authoris quæritur, an ſit Catholicum nec ne? abſolutè nego Eccleſiam errare poſſe. Cujus rei veram ſolidamque rationem accipite. Conſentiunt Catholici omnes Eccleſiam infallibilem eſſe in Scripturâ & traditione intelligendâ, tanquam regula omnis veræ aut falſæ Doctrinæ: ergo Eccleſia infallibilis eſt in judicandâ conformitate, vel difformitate cujuſcumque Doctrinæ cum Scripturâ & traditione; non poteſt autem eſſe infallibilis in tali conformitate judicandâ, niſi ſit infallibilis in intellectu Doctrinæ, quæ Scripturæ & traditioni conformis, aut difformis judicatur. Atqui quæſtio in quâ verſamur eſt quæſtio facti dogmatici; quæritur enim, an libellus Cæleſtii Catholicus ſit, ergo in eâ quæſtione Eccleſia errare non potuit. Sed ne qua hîc verſura fiat, Zozimum non ego ſic defendo hodiè, ut

nis quam quis præ ſe fert, non ſufficit ut liber manifeſtè Hæreticus pronuncietur eſſe Catholicus.

Sexta via eſt confeſſio alicujus erroris in Zozimo ſed erroris dumtaxat in quæſtione facti; quo in genere ipſa etiam Eccleſia errare poteſt.

Deſperantis eſt iſta reſponſio & multa confundentis.

Nam Eccleſia quãvis in quibuſdã facti quæſtionibus errare poſſit, non tamen in quæſtionibus facti dogmatici, cujuſmodi

eſt factum Cæleſtianum.

velim non potuiſſe errare : hoc ſolum volo, in libello Cæleſtii approbando non erraſſe, ſive errare potuerit, ſive non. Et ne vos diutiùs ſuſpenſos teneam, rem totam ſic expedio.

Ad veram Difficultatis ſolutionē nonnulla poſtulātur, ut, libellū Cæleſtii à Zozimo fuiſſe approbatum approbatione dumtaxat generali.

Approbationē verò generalem non poſtulare, ut in libro approbato nihil ſit falſi.

Non omne quod falſum eſt, eſſe continuò Hæreticum.

Fieri poſſe ut dogma falſum aliquo ſenſu dicatur Catholicum.

Nam aliud eſt Catholi-

Poſtulo autem tria vel quatuor ſatis facilia, quæ mihi donari, aut jam donata repræſentari velim. Primum eſt, libellum Cæleſtii approbatum fuiſſe à Zozimo, non ſpeciali approbatione, ſed generali dumtaxat. Quod ſupra jam oſtendimus. Alterum. Ad veritatem approbationis generalis opus non eſſe, ut liber approbatus nihil habeat falſi, id quod jam ex Toſtato demonſtravi. Tertium. Non omne quod falſum eſt, continuò Hæreticum eſſe, ut patet ex ipſâ definitione terminorum : nam dogma Hæreticum eſt dogma contradicens revelationi divinæ ſufficienter propoſitæ ad obligationem credendi inducendam, cujuſmodi profectò non eſt, quodcumque falſum eſt : multa enim falſa ſunt, quæ revelationi divinæ non contradicunt, aut ſi contradicunt, non tamen revelationi ſatis notoriæ. Quartum quod poſtulo eſt, fieri poſſe, & reipſâ ſæpè fieri, ut dogma falſum aliquo ſenſu Catholicum ſit : dogma enim dicitur *Catholicum* multipliciter. Nam dogma *Catholicum* propriè & ſtrictè dicitur quodcumque de fide eſt, dicitur autem ejuſmodi *Catholicum Imperatum.* Dogma item Catholicum eſt, cujus vel tenendi vel negandi in Eccleſiâ Catholicâ libera poteſtas eſt, dicitur verò iſtud *Catholicum liberum & arbitrarium.* Catholicum deniquè eſt, quod nondùm eſt plenè Hæreticum, ſeu quod tale eſt, ut in Eccleſiâ Catholicâ adhuc toleretur, donec plenior aliqua definitio accedat, & dicitur *Catholicum*

*toleratum*. Ergo, fieri poteſt, quod poſtulavi, ut dogma aliquod falſum aliquo ſenſu Catholicum ſit, non imperatum quidem, ſed arbitrarium dumtaxat, aut toleratum. Quibus poſtulatis & conceſſis jam pro Zozimo ſic argumentor. Libellus Cæleſtii à Zozimo approbari potuit & dici Catholicus, ſi, quo tempore approbatus eſt, nullum habuerit dogma plenè Hæreticum, nullum non aliquo ſenſu Catholicum: Atqui libellus Cæleſtii, quo tempore approbatus fuit à Zozimo, nullum habuit dogma plenè Hæreticum, nullum non aliquo ſenſu Catholicum. Nam, ſi quod habuit dogma plenè Hæreticum, & nullo ſenſu Catholicum, maximè dogma de traduce peccati; ſed dogma ejuſmodi nondùm erat plenè Hæreticum, nondùm ſatis notoriè reprobatum ad inducendam in omnibus fidelibus obligationem illius reprobandi. Ergo aliquo ſenſu Catholicum dici potuit, *Catholicum* ſcilicet *toleratum*, donec plenior illius reprobatio accederet. Et quia in eo punčto totus defenſionis cardo vertitur, in eo quoque paululùm immorandum eſt.

Dogma illud Cæleſtianum *de traduce peccati*, ſi tunc plenè Hæreticum fuit, ideo certè fuit quia, vel Scripturæ teſtimoniis ſatis evidentibus, vel traditioni conſtanti & notoriæ, vel expreſſæ Eccleſiæ definitioni repugnabat: ſed quo tempore libellus Cæleſtii Catholicus dičtus eſt, Cæleſtianum illud dogma, neque Scripturæ teſtimoniis ſatis evidentibus, neque traditioni ſatis notoriæ & conſtanti, neque ulli definitioni Eccleſiæ ſatis expreſſæ repugnabat: nam ſcripturæ ſenſus dubius erat, & de traditione ambigeba-

cum Imperat m.
Aliud Catholicum liberum & arbitrariũ.
Aliud Catholicum toleratum.
Quod Catholici dogmatis genus cum falſitate conjungi poteſt.
Quo tempore Cæleſtii libellus à Zozimo fuit approbatus, nullum habuit dogma plenè Hæreticum, nullum non aliquo ſenſu Catholicum.
Nam dogma Cæleſtianum de traduce peccati non erat eo tẽpore ſatis notoriè reprobatum.
Controvertebatur ſcri.

pturæ ſenſus.
De traditione ambigebatur, nulla definitio Eccleſiæ ſatis expreſſa præceſſerat.
In Conciliis quidem Dioſpolitano, Carthaginenſi, Milevitano damnatum, ſed ea Concilia particularia erant.
Litteræ Innocentii traducem peccati non ſatis expreſsè definierant.
Nec plenè reprobatum fuit dogma Cæleſtii, niſi poſt Zozimi reſcriptum, cui Eccleſiæ conſenſus acceſſit.
Secunda pars defen-

tur, ut ex longis Auguſtinum inter & Julianum ſuper eâ re diſputationibus evidens eſt: definitio verò Eccleſiæ nulla ſatis expreſſa præceſſerat: in Concilio quidem Dioſpolitano Pelagius errorem hunc ſuum damnaverat, ne ipſe damnaretur, *ore malam extinguens ſobolem, quam protulit ore.* In Concilio Carthaginenſi & Milevitano reprobatum fuerat tale dogma Cæleſtii, ſed iſtorum Conciliorum particularium non erat ſumma Authoritas, ad ſedem Apoſtolicam Pelagius & Cæleſtius appellaverant: Litteræ Innocentii præceſſerant, ſed eæ litteræ totæ erant in dogmate de gratiâ Chriſti ſtabiliendo, *traducem peccati* non ſatis expreſsè definientes. Atque hinc eſt, quòd Cæleſtius litteris Innocentii ſe conſentire diceret, nolens tamen damnare objecta ſibi à Paulino capitula. Ergo dogma Cæleſtianum nondùm plenè reprobatum fuerat, cùm à Zozimo libellus Cæleſtii Catholicus dictus eſt, nec plenè reprobatum fuit, niſi poſt reſcriptum Zozimi ad omnes Chriſtiani orbis Eccleſias directum, tunc enim omnium ferè Eccleſiarum conſenſu per totum mundum Hæreſis Pelagiana & Cæleſtiana damnata eſt.

Hæc ſatis pro primo capite defenſionis noſtræ. Ad alterum veniamus, atque ut Zozimum vendicare conati ſumus à notâ Hæreſis approbatæ, eundem ab imprudentiæ notâ vendicemus. Notatur imprudentiæ Zozimus, quòd Pelagium & Cæleſtium pro viris bonis habuerit: quòd Africanos Epiſcopos graviter & nullo ipſorum merito reprehenderit: quòd cauſam ab Innocentio præjudicatam retractarit. In quibus omnibus ſi nihil imprudenter feciſſe Zozimum oſtendero,

Zozimum ab imprudentiæ notâ plenè vendicavero.

Quòd ad primum attinet. Zozimum agnoſco à Pelagio & Cæleſtio fuiſſe deceptum: ambos enim habuit pro viris bonis, & ſincerè Catholicis, ut patet ex illius Epiſtolâ quartâ ad Africanos, ubi loquens de litteris Pelagii Romæ magno plauſu recitatis. *Utinam*, inquit, *ullus veſtrûm, dilectiſſimi Fratres, recitationi litterarum intereſſe potuiſſet? quod ſanctorum virorum qui aderant gaudium fuit? quæ admiratio ſingulorum? vix fletu quidam ſe & lacrymis temperabant, tales etiam abſolutæ fidei infamari potuiſſe: eſt-ne ullus locus, in quo Dei gratia & adjutorium prætermiſſum ſit?* Et in fine Epiſtolæ, *Si*, inquit, *Paterfamilias de reditu filii gratulatur, qui mortuus fuerat & revixit, perierat & inventus eſt; & jubet in uſum ejus ſtolam mundam, hoc eſt inſigne mentis candidæ afferri, & vitulum ſaginatum, quantùm hæc uberior exultatio eſt fidei, non mortuos eſſe, nec periiſſe, de quibus falſa vulgata ſunt?* Ita Zozimus. Neque hîc placere poteſt defenſio Cappelli Franciſcani, ajentis eas litteras Zozimi non eſſe, ſed à Pelagianis ſuppoſitas. Ecquandò enim ſuppoſitæ ſunt? an temporibus Auguſtini? ſed fraudis iſtius alicubi Auguſtinus meminiſſet? an poſt tempora Auguſtini? ſed iſtarum litterarum mentionem facit Facundus Hermianenſis, qui recentem adhuc impoſturam detegere potuiſſet: de Zozimo autem ſic loquitur l. 7. c. 3. *Invenient quoque beatum Zozimum Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem, contra ſancti Innocentii deceſſoris ſui ſententiam, fidem ipſius Pelagii ejuſque complicis Cæleſtii laudantem; inſuper etiam*

ſionis. Vendicatur Zozimus à notâ imprudentiæ.

Triplex accuſationis caput.

Primum, Quòd Zozimus Pelagium & Cæleſtium pro viris bonis habuerit.

Qui Zozimi error ſatis conſtat ex ipſius literis.

Neque audiendus eſt Cappellus negans eas litteras eſſe Zozimi.

*Africanos culpantem Epiſcopos, quòd ab illis Hæretici crederentur.* Dicamus ergo erraſſe Zozimum, ſed errore, ut appellant, puri facti; quo errore univerſa etiam Eccleſia errare poteſt: quo errore erravit Zephyrinus cùm Montaniſtis pacificas litteras dedit: quo erore erravit Damaſus Timotheum Apollinaris diſcipulum in communionem recipiens: quo errore erravit Siricius Origeniſtas ſuâ ſimplicitate Romæ fovens. Erravit Zozimus, ſed errare humanum eſt, *nec debet deputari crimini ſimplicium*, inquit pulchrè Facundus, *non intellecta verſutia malignorum.* Erraſſe Zozimum fateor, ſed eum nego in ſuo errore fuiſſe imprudentem.

Sed hic error Zozimi fuit error puri facti

Nec imprudens, nam Zozimum in ſuo errore ab imprudētiâ vendicant. Primò. Præſidentia Cæleſtii Romam venientis. Secundò. Conditio accuſatorū abſentium & diffamatorum. *Eâdem Epiſt. Zozimi.* Tertiò. Commēdatio Praylii

Ab imprudentiâ autem Zozimum vendicant. 1°. Præſidentia illa Cæleſtii Romam venientis, ut cauſam diceret, ſuoſque accuſatores provocantis, ut ſe Pontifici ſiſterent. *Ecce Pelagius & Cæleſtius Apoſtolicæ ſedi in litteris ſuis & confeſſionibus ſuis præſto ſunt.* 2°. Conditio accuſatorum abſentium Herotis & Lazari, quos Patroclus Arelatenſis Epiſcopus illorum hoſtis infenſiſſimus apud Zozimum diffamaverat; undè illa exclamatio Zozimi indignantis, *ubi Heros? ubi Lazarus? erubeſcenda factis & damnationibus nomina?* 3°. Commendatio Praylii Epiſcopi Hieroſolymitani Synodum Palæſtinam memorantis, ubi fuerat Pelagius abſolutus. *Ecce*, ajebat Zozimus, *ecce Epiſtolam Hieroſolymitani Praylii, qui in locum quendam ſancti Joannis Epiſcopus eſt ordinatus, accepimus, qui cauſæ Pelagii enixiùs aſtipulator intervenit.* 4°. Amborum hypocritarum humilis quam profitebatur obedientia Apoſtolicæ ſedi: nam Cæleſtius damnaturum ſe promi-

ſerat quæcumque ſedes illa damnaſſet, libellum ſuum concludens his verbis. *Quæ de Prophetarum & Apoſtolorum fonte ſuſcepi, veſtri Apoſtolatus offerimus probanda judicio; ut ſi fortè, ut hominibus, quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit, veſtra ſententia corrigatur.* Confeſſionis verò Pelagii clauſula hæc erat. *Hæc eſt fides, Papa beatiſſime, quam in Eccleſiâ Catholicâ didicimus, quamque ſemper tenuimus & tenemus, in quâ ſi minùs peritè, aut parùm cautè aliquid fortè poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & ſedem tenes: ſin autem hæc noſtra Confeſſio Apoſtolatûs tui judicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me Hæreticum comprobabit.* Nonne hæc pluſquàm ſatis ad omnem à Zozimo imprudentiæ ſuſpicionem amovendam: nam ille imprudens non eſt, qui ſequitur eam ſpeciem veri, quæ plerumque non fallit; Zozimus autem in judicio de Pelagii & Cæleſtii Innocentiâ eam ſpeciem veri ſecutus eſt, quæ plerùmque non fallit; ratò enim contingit malam fidem tantâ bonæ fidei ſpecie circumveſtiri. Ergo non fuit imprudens Zozimus, quatenùs Pelagium & Cæleſtium viros bonos, & ſincerè Catholicos credidit.

Hieroſolymitani.

Quartò. Amborum hypocritarum humilis quam profitebantur obediẽtia Apoſtolicæ ſedi.

*Ex Cæleſtii libello.*

*Ex Confeſſ. Pelag.*

Ex quibus omnibus favet Zozimo ea ſpecies veri quæ plerumque non fallit.

Sed neque imprudens fuit quatenùs Africanos Epiſcopos nimiæ credulitatis reprehendit. Nam ſi prudenter judicabat Pelagium & Cæleſtium calumniam pati, prudenter quoque judicabat, Herotem & Lazarum illorum accuſatores, calumniatores eſſe. Sed quales, Deus bone, calumniatores, qui per litteras tantùm accuſarent, nec ipſi coram ſtare auderent? *Grave fuit*, inquit Zozimus, *grave fuit Heroti & Lazaro littera-*

Alterum imprudentiæ caput, quòd Epiſcopos Africanos nimiæ credulitatis reprehenderit.

*rum ſuarum pediſſequos eſſe. An neſciebant dilectionem veſtram ad ſedem Apoſtolicam relaturam? huc certò calumniæ compendio navigaſſent, ubi de Epiſcopatu abdicando agitur, maria terreque luſtrantur, nec ulla ſuffragia prætermittunt. Ubi verò Innocentium famâ percellitur, otioſi & delicati, ſive accuſatores, ſive teſtes; in utriſque enim fallentibus nomen infame eſt, in cubilibus & in lectulis ſuis, litteris abutuntur, & totam Africam, univerſumque tranquillum Catholicæ ſerenitatis innubilant, ad libidines ſuas duæ peſtes.* Sed quales calumniatores? quos Cæleſtius teſtaretur nec antè ſibi, quàm de ſe ſcriberent viſu fuiſſe compertos, Lazarum ferè in tranſitu cognitum, Herotem verò etiam ſatisfactione interpoſitâ, quòd ſecus de abſente & ignoto ſenſiſſet, cum gratiâ receſſiſſe. Quæ omnia cùm magno veri colore dicerentur, potuit ea Zozimus non imprudenter habere pro veris. Ergo potuit nimiæ credulitatis Epiſcopos Africanos inſimulare, quòd ejuſmodi calumniatoribus credidiſſent. *Non decet*, inquit, *Epiſcopalem Authoritatem, & præcipuè prudentiam veſtram ad levium ſuſurronum ſcripta pendere.* Ergo potuit ſine temeritate dicere, *equidem ob fervorem fidei præfeſtinatum eſſe, promptiſſimum eſt.* Ergo potuit paternè illos monere, *fixos impoſterum pedes haberent adverſus arietem fraudulentiæ.* Nam reprehenſiones illæ & monitiones paternæ ſapientiſſimum Pontificem decebant.

Sed Pontificem excuſat.

Primò. Præſumptio Innocentiæ Pelagio & Cæleſtio favens.

Secundò. Mala accuſatorum fama, & gravis præſumptio calumniæ.

*Epiſt. Zozimi ſupra citatâ.*

Tertiò. Præſumptio præfeſtinationis ex fervore fidei in Epiſcopis Africanis.

Videamus an ſimiliter deceret retractare cauſam Pelagii ab Innocentio præjudicatam, in quo graviùs, ne diſſimulem, ſuſpecta venit prudentia Zozimi: nam eâ cauſæ retractatione videbatur, & detrahere memoriæ ſanctiſſimi Pontificis præ-

Tertium caput imprudentiæ, quòd retra-

deceſſoris ſui, & ſedis Apoſtolicæ Authoritatem infringere, & venturis Hæreticis animos facere, ne unquam damnationi Pontificum acquieſcerent. Sed profectò quiſquis totum hoc negotium cominùs & attentè inſpexerit, Zozimi prudentiam ſingularem mirabitur cum paternâ & *medicinali* (ut loquitur Auguſtinus) *lenitate* conjunctam. Nam Zozimus, cùm omninò crederet Pelagium & Cæleſtium viros eſſe bonos Catholicos, Herotem & Lazarum calumniatores, Africanos Epiſcopos fervore fidei præfeſtinaſſe, Innocentium Pontificem relatione Africanorum fuiſſe deceptum, cùm, inquam, hæc omnia prudentiſſimè crederet, neceſſe habuit retractare ſententiam Innocentii, ne innocentiam proderet, & audacter dicere, *nuſquàm piguit in melius retorſiſſe judicium.* Neque ea retractatio quidquam detrahebat memoriæ Innocentii: nam Innocentius nec ſupplicem Cæleſtium Romæ viderat, nec Confeſſionem Pelagii audiverat, nec quales eſſent Heros & Lazarus compererat, potuit ergo prudenter Pelagium & Cæleſtium damnare; ſed propter mutationem circumſtantiarum potuit prudenter abſolvere Zozimus, quos prudenter damnaverat Innocentius, nec illorum abſolutio, iſtius damnatio aliqua reputanda erat. Accedit quod memoriæ Innocentii Zozimus duplici cautione ſapienter providit. Nam 1°. Cæleſtium ſemper habuit pro excommunicato, nec vinculis excommunicationis abſolvit, ut teſtatur Auguſtinus. 2°. Nec antea abſolvere voluit, quàm promitteret ſe litteris Innocentii conſenſurum: ergo nihil detrahebat Innocentio, quam Zozimus meditabatur Pelagii & Cæleſtii abſolutio. Sed neque ſedis Apoſtoli-

tractari voluerit Pelagii & Cæleſtii cauſam ab Innocentio præjudicatam.

Sed ea retractatio ſapienter videri potuit neceſſaria in gravi præſumptione calumniæ factæ innocētibus.

*Lib. de Pecc. Orig. c. 6.*

Nec quidquam detrahebat memoriæ Innocentii, tum propter mutationem circumſtantiarum, tum propter cautionem duplicem, quæ adhibenda erat, ut ſcilicet Cæleſtius pro excommunicato ha-

beretur, nec ante abſolveretur quàm promitteret ſe litteris Innocentii conſenſurun.
*Lib. Pecc. Orig. c.* 6

cæ authoritatem elevabat Pontificiæ ſententiæ retractatio. Nam ſententia Innocentii erat æquivalenter duplex ; una reſpiciens dogmata, altera perſonas ; Atqui ſententiam Innocentii retractare noluit Zozimus, quatenùs dogmata fidei reſpicit, ut, vel ex eo patet, quòd Cæleſtium Zozimus voluerit Innocentii litteris conſentire: Sententiam igitur retractare voluit, quatenùs perſonas reſpicit, catenùs autem ſententia Pontificum imò & ſententia Conciliorum reformabilis eſt, quia errori obnoxia eſt, & verſatur in eo genere cauſarum in quo tradit Auguſtinus *priora Concilia poſterioribus emendari.* Addo, quamvis fides irreformabilis ſit, ut loquitur Tertullianus, & ſecundùm legem ordinariam ſanctum eſſe debeat effatum illud Magni Leonis Pontificis, *nihil prorsùs de benè compoſitis retractetur, retractando enim videntur benè ſtatuta convelli, & authoritates quas Ecleſia univerſalis amplexa eſt ad arbitrium Hæreticæ petitionis infringi.* Nihilominùs tamen contingere poteſt, ut fidei retractatio utiliſſima ſit, & fortè aliquandò neceſſaria, tùm ad ampliorem explicationem Catholicarum veritatum, tùm ad pleniorem Hæreticorum convictionem, quibus ex diſpenſatione juris & quodam quaſi condeſcenſu permittitur, ut ea, quæ legitimo & ſupremo judicio definita ſunt, retractentur, non quidem quòd de his dubitetur, ſed quâdam potius cauſæ præſidentiâ, & magnâ ſpe futuræ ipſorum converſionis. Atqui fortè Zozimo videri poterat incidiſſe ea tempora, quibus utilis eſſet retractatio cauſæ fidei : *Quando*, ut loquitur Auguſtinus, *illa ingenia, quamvis nefando errore perverſa, non tamen contemptibilia ſtudiosè potius corrigenda, quàm facilè damnanda*

Nec ſedis Apoſtolicæ authoritatem elevabat quia ſententiam Innocentii retractari voluit Zozimus, quá ſolùm parte perſonas reſpicit, aut ſi retractari voluit etiam eâ parte quâ dogmata reſpicit credés eam retractationem ſententiæ fore utilem cauſæ fidei.

Potuit ex diſpenſatione juris & quodam veluti condeſcenſu.

*viderentur*. Ergo aliquantò leniùs tractari potuerunt, quàm ſeverior Eccleſiæ diſciplina poſtularet.

*Lib. 2. ad Bon. c. 3.*

Nec timeri debuit periculoſum exemplum Hæreticis venturis: nam venturi Hæretici, vel ſincerè agent, vel dolosè; ſi ſincerè agent, optimum eſt ſibi perſuadeant, patere ſemper filiis etiam prodigis paterna viſcera Romanæ charitatis. Factum ergo Zozimi erit illis *correctionis clementiſſima ſuaſio*, ut cum Auguſtino loquamur, *non approbatio exitioſiſſimæ pravitatis*. Sin autem dolosè agent, pauci erunt qui Romam veniant, qui ſiſtant ſe Pontifici, qui diem dicant accuſatoribus ſuis, paucorum eſt audacia iſta Cæleſtiana, & ſi fortè quos initia Cæleſtii ad aliquid ſimile invitent, malus Cæleſtii exitus deterrebit; *Romanam* enim *Eccleſiam fallere uſquequaquè non potuit*: Sed cùm Zozimi interrogationibus fatigaretur, detegi timens, Pontificio examini furtim ſe ſubduxit; undè Zozimus deluſum ſe intelligens, Hæreſim Pelagianam cum authoribus ſuis Pelagio & Cæleſtio repetitâ authoritate damnavit, prolixam ſuper eâ re Epiſtolam encyclicam ſcribens, quam *tractatoriam* aut *tractoriam* appellavit, & ad omnes univerſi Epiſcopos direxit, ſubſcriptionibus ſingulorum firmari volens; quicumque verò ſubſcribere detrectarent, deponi & exauthorari: uti factum eſt Juliano ejuſque complicibus. Atque hinc eſt, quòd Julianus Zozimum paſſim accuſet crimine prævaricationis quod eſt tertium caput, à quo Zozimum vendicare habeo, aut, ut meliùs dicam, jam vendicavi.

Nec timeri debuit periculoſum exemplum venturis Hæreticis. Nam ſi ſincerè agent, facto Zozimi allicientur, ad correctionem; ſi dolosè, paucorum erit audacia Cæleſtiana, eoſque terrere poterit malus audaciæ exitus, & conſtantia Zozimi Pelagium & Cæleſtium poſt fraudem cognitam repetitâ authoritate damnantis.

Nam quid eſt cur prævaricator dicatur eſſe Zozimus? an quia partem Pelagii, in quâ ſciret eſſe veritatem, Romanorum timore deſeruit? ſed Zozimus Pelagianum aut Cæleſtianum dogma

Tertia pars defenſionis. Vendicatur Zozimus à crimine

nunquam tenuit, ut, vel ex eo patet, quod Cæleſtium voluerit litteris Innocentii conſentire. an quia Pelagium & Cæleſtium, quos ſciret eſſe viros bonos, damnavit? Sed non antè damnavit, quàm putridos & carioſos Hæreticos eſſe comperit. Ergo non fuit prævaricator Zozimus in damnatione Pelagii & Cæleſtii, *prævaricator futurus, ſi non damnaſſet*, ut benè notat Auguſtinus contra Julianum. Hæc ſatis, ut defenſionem iſtam concludam Facundi Hermianenſis verbis, Hæc ſatis *ad inſtructionem parvulorum noſtrorum, ut non ſcandaliſentur*, in his, quæ de Zozimo tam falsò & tam iniquè vulgata ſunt. Hinc intelligant viri boni & benè Catholici, interdùm lupos ſub veſtimentis ovium latentes, bonis ſanctiſque Paſtoribus illudere: interdùm pro lupis arceri canes ipſos fideliſſimos Dominici gregis cuſtodes: interdùm ſtrenuos fidei defenſores pro calumniatoribus haberi: interdùm malis Hæreticorum artibus fieri quamdam veritatis eclypſim momentaneam; ſed meminerint & confidant, quod ait Auguſtinus, veritatem ad tempus *occultari poſſe, vinci non poſſe.* Intelligant & Verſipelles Hæretici, *nihil eſſe abſconditum quod non revelabitur, nihil occultum quod non ſcietur.* Intelligant brevi futurum ut, quas meditantur fraudes, in ſuum ipſorum caput recidant, eoſque habeant præcipuos damnatores, quos malis artibus fautores habere voluerunt. Intelligant deniquè magni Eccleſiarum principes ac rectores, quantâ cautione cum Hæreticis agendum ſit, & quantum nomini ſuo dedecus accerſerent favore, & patrocinio Hæreticorum.

prævaricationis, nam neque prævaricator dici potuit quòd partem Pelagii deſeruerit, neque quòd Pelagium & Cæleſtium damnaverit.

Futurus prævaricator ſi non damnaſſet.

Fructus & finis Diſſertationis.

DEFENSIO

# DEFENSIO ECCLESIÆ IN NEGOTIO TRIUM Capitulorum:

## DISSERTATIO THEOLOGICA.

*De perſonis tantummodò non de fide aliquid geſtum eſt.* Ita Gregorius magnus Epiſt: 37. de negotio trium Capitulorum.

AGGREDIOR illuminare *negotium* verè *in tenebris perambulans*, & ſimul fugare *dæmonium meridianum*; ſic enim Prophetæ verbis appellare poſſumus negotium trium Capitulorum; & quæſtionis obſcuritate tenebroſum, & ſcandali celebritate ſplendidum, quo nimirùm per centum & ampliùs annos turbatus eſt univerſus orbis Chriſtianus, hodiéque vel ſolâ rei præteritæ recordatione turbatur. Ecce enim inquieti novatores, & in circulis & in libellis tria Capitula perpetuò obtrudunt, de tribus Capitulis pulverem movent, quo ſe ſuoſque errores tegant.

*Pſal. 90.*

Negotium trium Capitulorum, & quæſtionis obſcuritate tenebroſum, & ſcandali celebritate ſplendidū;

E

Quo multipliciter abutuntur novatores.

Tribus Capitulis laqueum nectunt, quo ſimplices capiant, & per tria Capitula, Eccleſiam; quam pervertere non poſſunt, commovere aliquo modo conantur. Ecce de tribus Capitulis paſſim, & Eccleſia Orientalis cum Occidentali, & Concilium Conſtantinopolitanum cum Chalcedonenſi, & Vigilius Pontifex cum Pontifice Vigilio committitur. Ecce notatur quotidie erroris & imprudentiæ antiqua Eccleſia, eoque fine, ut res trahatur in exemplum, & præjudicium Eccleſiæ præſentis, omniſque Eccleſiaſtici judicii authoritas infirmetur. Nam ſi potuit errare antiqua Eccleſia in negotio trium Capitulorum, cur non poſſit, inquiunt, errare Eccleſia junior in cauſâ articulorum Lutheri aut Calvini. Si Conſtantinopolitana Synodus retractare potuit Chalcedonenſem, cur non poſſit alia quædam Synodus ventura emendare Tridentinam. Si Vigilius Pontifex damnavit tandem ipſe tria Capitula, quæ antè defenderat; cur pariter Doctrinam Janſenii, quam damnavit Innocentius X. non poſſit aliquandò alius Pontifex approbare.

Periculum conſequentiæ.

Videtis, opinor, periculum conſequentiæ, & & præſentis negotii gravitatem, méque nutu veſtro cunctantem impellitis, ut properem, ſi quo modo poſſim, tale ac tantum ſcandalum amovere, & ſcrupulum omnem à fidelium mentibus eximere. Faciam quod vultis, rem planè dignam viro Theologo. Sed quantæ molis erit iſta defenſio Eccleſiæ, & concordia quam meditor: ſive altam totius negotii profunditatem ſpectemus, ſive multitudnem infinitam rerum, cauſæ principali accidentium, ſive ſummam contendentium dignitatem, ſive *longum funem con-*

*tentionis*, ut cum Tertulliano loquar, tamdiu tractum, necdum ſatis evolutum. Mihi quidem tanta apparet difficultas cauſæ, ut idem ipſe, qui ſuperioribus annis apud vos tantoperè laborabam, & Petrum conciliare cum Paulo in cauſâ legalium, & Honorium vendicare ab Hæreſi Monothelitarum, & Zozimum defendere in cauſâ Pelagii & Cæleſtii; jam nihil penè feciſſe mihi videor, ſed verſatus in facili, per exercitationes leves, quaſi velitationes totidem ad gravem iſtam & operoſam contentionem prælusiſſe. Totius negotii ſummam accipite, & ſummam eſſe difficultatem intelligetis.

Controverſiæ gravitas.

Et difficultas.

Damnaverat errorem Neſtorii Synodus Epheſina anno Domini quadringenteſimo trigeſimo, Celeſtini Pontificis quarto. Damnaverat non longè poſt Synodus Chalcedonenſis, anno ſcilicet Domini quadringenteſimo quinquageſimo primo, Leonis Papæ duodecimo, errorem Eutychetis, errori Neſtorii ex diametro oppoſitum. Eutyches enim unicam in Chriſto naturam, duas etiam perſonas Neſtorius admittebat. Ut ſolent rei damnati obmurmurare damnatoribus ſuis, cœperunt ſtatim Eutychiani diffamare Chalcedonenſem Synodum damnatricem ſuam, quaſi Neſtorio & Neſtorianis faveret: id quod ſatis conſtare dicebant tribus præſertim punctis ſeu Capitulis. Primum, quòd Magiſtrum Neſtorii Theodorum Mopſueſtenum Synodus laudaſſet, quem damnare debuerat, uti mali caput, & primum Hæreſis authorem. Alterum. Quòd cum Theodoreto Cyrenſi Epiſcopo Magni Cyrilli adverſario communicaſſet, ejus etiam adverſus Cyrillum ſcripta recipiens. Tertium. Quòd abſol-

Præmittitur brevis ſumma Hiſtoriæ triū Capitulorum.

viſſet Ibam Epiſcopum Edeſſenum, ejuſque Epiſtolam quandam ad Marim Perſam, quæ Neſtoriana erat, approbaſſet. Theodorus igitur malè laudatus. Theodoretus malè in communionem admiſſus, ejuſque contra Cyrillum ſcripta temerè recepta. Ibas præter meritum abſolutus, ejuſque Epiſtola Neſtoriana ad Marim Perſam, malè approbata; tria ſunt famoſa illa Capitula, ex quibus ſemi-Eutychiani, ſeu Acephali, propago quædam Eutychianorum occaſionem arripiebant non admittendi Concilii Chalcedonenſis.

Inter hæc Theodorus Cæſareæ in Cappadociâ Epiſcopus, ſeu nuperâ Origenis ſui damnatione exaſperatus, ſeu de conſilio, ut creditur, Theodoræ Auguſtæ fœminæ clàm Eutychianæ, Juſtiniano Imperatori author fuit, ut tria Capitula damnaret, per ſpeciem ineundæ cum Acephalis concordiæ, & ne qua, ut ajebat, apud Catholicos Orientales Neſtorianiſmi ſuſpicio remaneret. Damnavit tria Capitula Juſtinianus anno Imperii ſui vigeſimo ſecundo, Vigilii Pontificis decimo-tertio, Chriſti Domini quingenteſimo quadrageſimo nono, centum poſt annos uno minùs à Concilio Chalcedonenſi trium Capitulorum, ut vulgabatur, approbatore. Damnationi Imperatoriæ ſubſcripſerunt quidem ſine morâ Orientales Epiſcopi; ſed defenſionem trium Capitulorum ſuſcepit acriter Occidentalis Eccleſia, ab Eutychianorum artibus, & Græcorum levitate timens, ne per tria Capitula authoritas Concilii Chalcedonenſis obliquè peteretur. Edictum Juſtiniani reprobavit primùm Vigilius Pontifex. deindè verò Conſtantinopolim veniens, & ipſe Imperatori conſenſit, famoſo illo ſuo judicato

ſeu conſtituto; quod tamen ſeu conſtitutum, ſeu judicatum poſtea retractavit, totam cauſam remittens ad Concilium plenarium ex Occidentalibus & Orientalibus æquo numero cogendum. Cùm autem venire Occidentales renuerent, aliquandiu Concilium dilatum eſt, differente Pontifice: donec impatiente morarum, & rem urgente Juſtiniano, tandem anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo quarto, præter & contra voluntatem Vigilii Pontificis celebratum eſt Conſtantinopoli Concilium generale quintum, in quo tria Capitula fuere damnata. Concilium tamen ejuſmodi, cui nec intereſſe, nec præſidere voluerat Vigilius, confirmavit idem, quod mirum eſt, ſexto aut ſeptimo abhinc menſe, ejuſque definitionibus, & damnationi trium Capitulorum, univerſa Eccleſia ſenſim acquievit, reclamantibus initio Schiſmaticis non paucis, pro quibus, ad unitatem reducendis Pelagius primus, Pelagius ſecundus, Gregorius Magnus, aliique Pontifices longam & diligentem operam poſuerunt.

Hæc eſt ſumma rei geſtæ. Undè triplex, ut videtis, naſcitur accuſatio adverſùs Eccleſiam in triplici ſtatu conſideratam. Prima. Adverſùs Eccleſiam in ſtatu ſuæ diffuſionis: videtur enim Eccleſia per orbem diffuſa aliquandò erraſſe, tria Capitula, quæ damnanda erant, obſtinatè defendens. Altera. Adverſùs Eccleſiam in ſtatu Congregationis; videtur enim Eccleſia congregata in Concilio Chalcedonenſi approbaſſe tria Capitula, quæ deindè in Conſtantinopolitano damnavit. Tertia. Adverſùs Eccleſiam in ſtatu adunationis; *Eccleſia* enim *in Epiſcopo eſt*, 

Unde naſcitur triplex accuſatio adverſùs Eccleſiam in triplici ſtatu conſideratam.

*Lib.* 4. *Epiſt.* 9.

juxta celebre dictum Cypriani, & Vigilius Romanus Epiſcopus tria Capitula per vices & defendit & damnavit, non ſine magnâ levitatis & prævaricationis ſuſpicione. Accuſationi triplici, triplex debet reſpondere defenſio. Prima. Defenſio Eccleſiæ per orbem diffuſæ. Altera. Defenſio Eccleſiæ in Concilio congregatæ. Tertia. Defenſio Eccleſiæ in capite ſeu Pontifice adunatæ. Favete, viri Clariſſimi, vos quibus Eccleſia cordi eſt, mihi quantulocumque Eccleſiæ defenſori. Aderit, ut ſpero, in tam pio defenſionis officio fidelis Eccleſiæ ſponſus Chriſtus Dominus, mihique cogitationes pacis & vias concordiæ ſuggeret, idem ille, ut loquitur Apoſtolus, *Pax noſtra, qui fecit utraque unum, reconcilians in ſe ima ſummis, & pacificans per ſanguinem ſuum, ſive quæ in cælis ſunt, ſive quæ in terris.*

Cui triplex defenſio reſpondebit.

Prima. Eccleſiæ per orbem diffuſæ.

Secunda. Eccleſiæ in Concilio congregatæ.

Tertia. Eccleſiæ in capite ſeu Pontifice adunatæ.

Prima pars. Proponitur argumentum Hæreticorum contra infallibilitatem Eccleſiæ per orbem diffuſæ ex defenſione trium Capitulorum quam ſuſcepit Occidentalis Eccleſia.

Suſcepit, arguunt Hæretici, ſuſcepit aliquandò Eccleſia per orbem diffuſa defenſionem trium Capitulorum, quæ damnanda erant; ergo erravit. Conſequentia per ſe patet; eſt enim error aliquis in defenſione ejus, quod damnandum eſt. Antecedens verò continet factum notorium omni homini in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ non peregrino. Quomodo ergo nunc ſtabit magnifica illa Chriſti promiſſio Eccleſiæ facta: *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*; ſi error, qui de portis inferi eſt, adverſus Eccleſiam aliquandò prævaluit. Quomodo verum eſt illud; *Quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælis*, ſi aliquandò tria Capitula & damnabantur in cœlis, & ab Eccleſiâ ſolvebantur, ſeu defendebantur in terris.

*Matt. c.16.*

Ridet hîc aliquis in ſinu, & ſocio aſſidenti in aurem inſuſurrat, excitare me larvam difficultatis, quæ terrorem pueris, & riſum faciat eruditis. Tota enim quanta eſt evaneſcit, unicâ facili exceptione; ſi nimirùm dicamus, non ab Eccleſiâ univerſâ, ſed ab Eccleſiâ ſolùm Occidentali, ſuſceptam eſſe trium Capitulorum defenſionem. Nam Eccleſia Orientalis tria Capitula conſtanter damnavit: nihil autem movet eruditos, quòd aliqua Eccleſiæ pars erraverit, cùm Chriſtus infallibilitatem, non parti Eccleſiæ, ſed toti Eccleſiæ promiſerit. Rideo ego, Auditores, pro meo jure, nec jam in ſinu, ſed palam & apertè rideo, vanam iſtam exceptionem. Promiſſa quidem eſt infallibilitas Eccleſiæ toti, nec modò integraliter toti promiſſa eſt, ſed etiam ſubſtantialiter toti, ut loquuntur Theologi, & fatentur omnes Catholici. Atqui Eccleſia, quæ trium Capitulorum defenſionem ſuſcepit, eſt Eccleſia ſubſtantialiter tota; eſt enim Eccleſia Occidentalis, præcipua & major Eccleſiæ pars, in quâ eſt ſedes Petri, retinens ſola denominationem totius Eccleſiæ ſupra Petram, ſeu Petrum ædificatæ. Eccleſiæ autem ſupra Petram, ſeu Petrum ædificatæ, infallibilitas promiſſa eſt, dicente Chriſto, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Nec modo vana eſt iſta exceptio, ſed valdè etiam periculoſa: quis enim Hæreticus, ſeu Lutheranus, ſeu Calviniſta, ſeu alterius cujuſcumque Sectæ, excipere pariter non poſſit, ſe non ab univerſâ Eccleſiâ, ſed ab Eccleſiæ tantùm parte, ac proindè non ſupremo, & infallibili judicio fuiſſe

Reſpondetur primò. Eſto erraverit Eccleſia Occidentalis, quæ pars eſt Eccleſiæ, dummodo Eccleſia tota non erraverit.

Sed ea reſponſio vana eſt, quia Eccleſia Occidentalis major Eccleſiæ pars, in quâ eſt ſedes Petri, Eccleſia eſt ſubſtantialiter tota, eique promiſſa eſt infallibilitas.

*Matt. c. 16.*

Nec vana tantùm eſt, ſed periculoſa iſta exceptio, quæ januâ aperit defenſioni

omnium errorum.

damnatum. Vix enim contingit, ut in damnationem erroris Eccleſia integraliter tota, ſeu omnia ad unum Eccleſiæ membra conſentiant. Hæc igitur reſponſio pro rimâ quæ obſtruenda erat, latam quandam, ut videtis, januam aperit defenſioni omnium errorum. Quare

Reſpondetur ſecūdò. In negotio trium Capitulorum quæſtionem fuiſſe non de fide ſed de perſonis tantùm, in quâ quæſtione errare potuit Eccleſia, nec adeò curandum an erraverit.

Audiamus alios, plauſibiliùs & minùs periculosè excipientes, controverſiam de tribus Capitulis, eſſe controverſiam, in quâ non de fide, ſed de perſonis agebatur. Exceptioni favet Gregorius magnus Epiſtolâ trigeſimâ ſeptimâ; in negotio trium Capitulorum, *de perſonis*, inquit, *tantummodo, non autem de fide aliquid geſtum eſt.* Conveniebat ſcilicet inter contendentes, legitimè fuiſſe damnatum, tam Neſtorium, quàm Eutychetem; utrique ſincerum Anathema dicebat, Occidentalis & Orientalis Eccleſia; ſola Theodori Mopſueſteni, Theodoreti Cyrenſis, & Ibæ Edeſſeni perſona ventilabatur. Atqui in quæſtione de perſonis Eccleſia errare poteſt, nec adeò curandum eſt, an erraverit; quia infallibilitas ei promiſſa unicè pertinet ad quæſtiones fidei decidendas. Acquieſcit cum multis aliis in eâ exceptione illuſtriſſimus Dominus de Marca Archiepiſcopus olim Toloſanus, ſed ſalvo honore tanti viri, ego planè acquieſcere non poſſum. Nam, ut demus generatim in quæſtione de perſonis errare poſſe Eccleſiam, non continuò erraſſe donandum eſt; neque enim ſatis honeſtè permittitur probum alioqui & prudentem virum deceptum fuiſſe, aut mentitum, eo præcisè quòd omnis homo naturâ ſuâ mendax eſt, & errori obnoxius: longè profectò honeſtiùs defenditur Eccleſia, quandiu defendi

*In ſuâ Hiſt. trium Capit.*

Non placet ea reſpōſio, quia non ſatis honori Eccleſiæ conſulit permittens erraſſe Eccleſiā, quā-

poteſt; quamvis enim non ſemper habeat ſpecialem illam & certam Spiritus Sancti aſſiſtentiam, quam habet in quæſtionibus fidei, adhibere tamen ſolet tantam inquirendi diligentiam, ut vix unquam errare contingat, etiam in his quæſtionibus, in quibus abſolutè errare poteſt. Quare, ne in his quidem imponi debet error Eccleſiæ, niſi ſatis probetur; non probatur autem ſatis in noſtro negotio; ergo non ſatis honori Eccleſiæ conſulit, quicumque præcisè dicit, in negotio trium Capitulorum, de perſonis tantummodo, non de fide aliquid geſtum eſſe; nihil ultra ſollicitus, an in eo facto Eccleſia erraverit, necne.

do ab errore defendi poteſt.

Verùm, quod caput eſt, abſolutè nego, verſari nos tantùm in eo genere quæſtionum in quibus Eccleſia errare poſſit. Diſtinguo enim & diligenter diſtingui velim in negotio trium Capitulorum, quæſtionem duplicis generis, unam facti criminalis, alteram facti dogmatici. Ad quæſtionem facti criminalis pertinere dico. *An Theodorus Mopſueſtenus animo Hæretico docuerit, & in ſuâ Hæreſi ad finem uſque contumaciter perſeverarit? an Theodoretus in Concilio Chalcedonenſi errorem Neſtorii ſincerè ejuraverit? an Ibas innocens fuerit ab iis criminibus à quibus ibidem fuit abſolutus.* Hæc ſunt de quæſtione facti criminalis. Ad quæſtionem vero facti dogmatici refero. *An errorem Neſtorii contineant, ſeu ſcripta Theodoreti adversùs Cyrillum, ſeu famoſa illa Epiſtola, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam ſcripſiſſe.* In quæſtione quidem facti criminalis Eccleſia errare poteſt, & poſſunt, quod ait Auguſtinus, in eo genere *priora Concilia*

Et falsò ſupponit verſari nos in eo ſolùm genere quæſtionum, in quibus Eccleſia errare poſſit; hic enim duplex quæſtio eſt, una facti criminalis, altera facti dogmatici.

In quâ quæſtione Eccleſia abſolutè errare non poteſt.

*poſterioribus emendari.* Sed in quæſtione facti dogmatici, Eccleſia abſolutè errare non poteſt, id quod memini demonſtrare me nuper contra novatores. Ergo in negotio trium Capitulorum eſt aliquod genus quæſtionis, in quo Eccleſia errare non poteſt. Hîc tamen non nego, quin verè & ſapienter ſcripſerit Gregorius magnus in negotio trium Capitulorum de perſonis tantummodo, non de fide aliquid geſtum fuiſſe, quia in toto negotio utraque Eccleſia,ſeu Orientalis, ſeu Occidentalis, Doctrinam Neſtorianam & Eutychianam pro Hæreticâ habebat, utraque Concilii Epheſini & Chalcedonenſis definitiones ſequebatur. Nec jam divinus aliquis ſcripturæ aut traditionis ſenſus, ſed certorum hominum vita, aut Doctrina exquirebatur: quare tota quæſtio de perſonis erat, dummodò in quæſtione de perſonis, non quæſtio tantùm facti criminalis, ſed etiam dogmatici comprehendatur, uti comprehendebat Gregorius verè negans quæſtionem facti perſonalis eſſe quæſtionem fidei; quippè quæ nec in ſcripturâ, nec in traditione deciſionem habet: id quod prudenter inculcabat magnus Pontifex eo fine, ut Schiſmaticorum animos, quos fidei malè reformatæ umbra terruerat, mitigaret, & minùs alienos redderet à Concilio quinto, cujus deciſiones de Tribus Capitulis, deciſiones fidei non eſſent, & in quibus recipiendis, ſi fortè error aliquis, certè error in fide non timeretur. Atque hæc Gregorii reſponſio, Schiſmaticis fortè aliquibus ſatisfecit, ſed planè novatoribus noſtris non ſatisfacit. Manet enim ſemper integra difficultas, à Gregorio non ſoluta: quomodo

Quo ſenſu ſcripſerit Gregorius, *de perſonis tantummodo, non de fide aliquid geſtum fuiſſe.*

Et quo fine hoc ipſum inculcarit magnus Pontifex.

in quæſtione facti dogmatici non erraverit Eccleſia, quam contendimus nos in quæſtione facti dogmatici eſſe infallibilem.

Doctor Sorbonicus vir magni meriti, nomen conſultò taceo, quia tacere ipſe voluit, in opuſculo ſuo Anonymo contra incredulos, ſuperioribus annis Gallicè ſcripto, negotium trium Capitulorum, quod à novatoribus contra Eccleſiæ infallibilitatem paſſim producitur, pro Eccleſiæ infallibilitate ipſe ingenioſè retorquet contra novatores. Nam, ſi totum, inquit, negotium attentè conſideremus, clarè apparebit, conſtantem & unanimem primis temporibus fidelium ſenſum fuiſſe, Concilium generale, Eccleſiam repræſentans, errare non poſſe in facto dogmatico. Cur enim Orientales tanto ardore tria Capitula damnari voluerunt? niſi quia Eutychiani ad diffamandum Concilium Chalcedonenſe, ea Capitula jactabant fuiſſe approbata Chalcedone: quæ calumnia Catholicis Orientalibus legitimo Concilio indigna, & minimè ferenda videbatur. Eccleſia verò Occidentalis trium Capitulorum defenſionem ideò tantùm ſuſcepit, quòd ea crederet fuiſſe approbata Chalcedone; eoque fundamento approbationis præſumptæ tamdiu perſtitit in ſuſceptâ defenſione, donec ſuus illi error clarè innotuit. Quare, erravit quidem Eccleſia Occidentalis, ſed errore meri facti: quatenùs credidit tria Capitula fuiſſe Chalcedone approbata, quæ reipſâ Chalcedone approbata non fuerant.

Reſpondetur tertiò Ex ipſo negotio triū Capitulorum apparere ſenſum unanimē fidelium de infallibilitate Eccleſiæ in quæſtione facti dogmatici.

Et in eo erraſſe Eccleſiā Occidentalem errore meri facti, quatenùs credidit tria Capitula fuiſſe approbata Chalcedone, quæ approbata non erant.

Aſſentior lubens Doctori Sorbonico, quâ parte ſtatuit conſtantem & unanimem primis temporibus fidelium ſenſum fuiſſe, Concilium

generale Eccleſiam repræſentans, in facto dogmatico errare non poſſe; ſed ei planè non aſſentior, quatenùs vult, aut permittit ab Eccleſiâ Occidentali creditum tria Capitula fuiſſe approbata Chalcedone. Nam primò non ſatis ſibi cohæret Doctor Sorbonicus, negans ex unâ parte Concilium generale Eccleſiam repræſentans errare poſſe in facto dogmatico, & ex alterâ permittens Eccleſiam in ſimili facto erraſſe; erravit enim planè, ſi tria Capitula credidit approbata Chalcedone: nam eo ipſo quod ita credidit, tria Capitula, ut innoxia defendit. Atqui hæc duo non bene cohærent: Concilium enim generale eatenùs infallibile eſt, quatenùs eſt repræſentativum Eccleſiæ infallibilis; ergo ſi eſt infallibilitas in Concilio Eccleſiam repræſentante, eſſe debet in Eccleſiâ per Concilium repræſentatâ. Deindè Eccleſiam cùm vindicare haberet ab uno errore Doctor iſte Sorbonicus, novum ei quemdam errorem, & periculoſiorem imponit, quo ſcilicet crediderit tria Capitula fuiſſe Chalcedone approbata: neque enim meri facti eſt error iſte novus, ſed facti alicujus cum fide eſſentialiter connexi; quo in genere ſi erraret Eccleſia, erraret in fide. Ponamus enim falsò credi ab Eccleſiâ, dogma aliquod fuiſſe in Concilio generali definitum, acquieſcet continuò Eccleſia definitioni Concilii, & pro dogmate Catholico habebit, quod non eſt dogma Catholicum, ergo errabit in fide. Abſit igitur, & longè abſit ab Eccleſiâ Occidentali, ut crediderit aliquandò tria Capitula fuiſſe Chalcedone approbata. Fuiſſet enim error ille intolerabilis; nec veriſimilitudinem ullam habet ab

Sed iſta reſponſio nec ſatis cohærens eſt.

Et Eccleſiæ novum errorem imponit priore periculoſiorem.

Nam error iſte novus meri facti non eſt, ſed facti eſſentialiter cum fide connexi.

Neque credibile eſt ignorari tamdiu potuiſſe ab

Eccleſiâ Occidentali tamdiù ignorari potuiſſe, Concilii Chalcedonenſis proceſſum circa tria Capitula, Concilii, inquam, Chalcedonenſis ab Occidentalibus tanto plauſu recepti, à Romano Pontifice tam ſolemniter approbati, in quo Patribus Leonis magni Epiſtola dogmatica, directricis inſtar columnæ præluxerat.

Eccleſiâ Occidentali verum proceſſum Concilii Chalcedonenſis circa tria Capitula.

Difficilem hunc nodum ego olim; ſi me juvenem audire vultis, mihi videbar ſatis feliciter expedire, diſtinguendo duplex Eccleſiæ judicium, unum infirmum & proviſorium, alterum firmum & definitivum. Eccleſiam quidem in judicio firmo & definitivo circa quæſtiones dogmaticas errare non poſſe, tenui ſemper pro indubitato, nihil tamen obſtare putans, quin Eccleſia in judicio aliquo infirmo & proviſorio errare poſſit. Id quod facilè demonſtrabam, contingit enim aliquandò, ut inter Catholicos, unus aliquis ſcripturæ ſenſus ſalvâ fide controvertatur, Eccleſiâ in duas partes diviſâ, ſingulis ſenſum ſuum probabiliter, modeſtè & proviſoriè tuentibus, uſquè ad judicium definitivum: nihil autem vetat, quin major Eccleſiæ pars in ſenſu illo ſuo proviſorio errorem ſequatur; quia in re utrimque probabili, nihil vetat ſtare veritatem ab eâ parte, quæ minùs probabilis, & minùs numeroſa eſt. Atqui, ajebam, Eccleſia Occidentalis tria Capitula non definitivè, ſed proviſoriè tantùm defendit. Ergo ex eâ definitione, quantumvis erronea dicatur eſſe, nihil argui poteſt contra veram Eccleſiæ infallibilitatem, quæ non proviſorio illius judicio, ſed definitivo promiſſa eſt. Hæc mihi aliquandò placuerunt, ſed jam non placent: tum quia parùm

Reſpondetur quartò, Diſtinguēdo duplex Eccleſiæ judicium, unum infirmum & proviſorium, alterum firmū & definitivum: Et in judicio quidem definitivo errare Eccleſiam non poſſe, poſſe tamen in judicio proviſorio. Itâque erraſſe in cauſâ trium Capitulorum, quæ non definitivè ſed proviſoriè dumtaxat

defendit. honeſtè, & ſine ſufficienti fundamento dicitur erraſſe Eccleſia Occidentalis in defenſione trium Capitulorum etiam proviſoriâ; tum quia jam mihi certum eſt, Eccleſiam Occidentalem, tria Capitula non fluctuanter tantùm & proviſoriè, ſed firmiter & modo definitivo defendiſſe. Nam, ſi proviſoriè tantùm defendebat, ipſa, aut appellare debuit ad futurum Concilium, aut certè futurum Concilium non detrectare; non appellavit autem, ſed detrectavit, & Eccleſiæ Orientali, novum Concilium poſtulanti obſtinatè reſtitit, cauſam trium Capitulorum retractare nolens. Qui profectò modus defenſionis magis definitivus eſt, quàm proviſorius. Liceat ergo mihi à me juvene & minùs conſulto, ad me ipſum jam maturiorem, & fortè meliùs conſultum provocare.

Placebat olim ea reſponſio, hodiè non placet: tum quia non ſatis honeſta eſt erga Eccleſiam, tum quia certum videtur Eccleſiã Occidentalem non proviſoriè tantùm, ſed definitivè tria Capitula defendiſſe. Quare author à ſeipſo juvene & minùs conſulto ad ſeipsũ jam maturiorem & meliùs conſultum provocans.

Advertite, amabo, tria Capitula accipi poſſe Dupliciter. Primò quidem materialiter & abſolutè, prout ſunt in ſe. Secundò verò formaliter & reſpectivè ad proceſſum Concilii Chalcedonenſis circa illa, ſeu prout à Concilio Chalcedonenſi tractata ſunt. Defendere tria Capitula materialiter & abſolutè ſumpta, ne quid obſcurè loquamur, eſt; *Suſtinere Theodorum Mopſueſtenum non docuiſſe hæreſim, aut ſi docuit non feciſſe animo Hæretico, aut certè in ſuâ Hæreſi non perſeveraſſe contumaciter uſquè ad mortem. Theodoretum Cyrenſem errori Neſtorii in Concilio Chalcedonenſi ſincerum Anathema dixiſſe; ejuſque ſcripta adversùs Cyrillum eſſe Catholica. Ibam deniquè Edeſſenum Epiſcopum fuiſſe reipſâ innocentem, neque Neſtorianam eſſe Epiſtolam, quam dicitur ad Marim Perſam ſcripſiſſe.* Defen-

Reſpondet diſtinguendo duplicẽ acceptionem trium Capitulorũ materialem & formalem.

dere autem tria Capitula ſumpta formaliter, & reſpectivè ad proceſſum Concilii Chalcedonenſis, nihil aliud eſt, quàm ſuſtinere *circa Theodori Mopſueſteni, Theodoreti Cyrenſis, Ibæ Edeſſeni, ſcripta aut perſonas, Concilium Chalcedonenſe rectè & legitimè in omnibus proceſſiſſe.* Quâ diſtinctione poſitâ, & benè intellectâ, dico facilè pro concordiâ, Eccleſiam Occidentalem defendiſſe tria Capitula ſumpta formaliter, & reſpectivè ad proceſſum Concilii Chalcedonenſis, quatenùs ſcilicet defendit, Concilium Chalcedonenſe circa illa rectè & legitimè proceſſiſſe. Eccleſia verò Orientalis damnavit tria Capitula materialiter & abſolutè ſumpta, ſeu conſiderata in ſeipſis. Atqui tria Capitula materialiter & abſolutè ſumpta, ſeu conſiderata in ſe ipſis damnanda erant; formaliter verò & reſpectivè ad proceſſum Concilii Chalcedonenſis erant defendenda. Ergo neque in defenſione trium Capitulorum erravit Eccleſia Occidentalis, neque Orientalis in damnatione.

Quid ſit defendere tria Capitula materialiter & abſolutè ſumpta.

Quid defēdere tria Capitula ſumpta formaliter & reſpectivè ad proceſſum Concilii Chalcedonenſis.

Eccleſia Occidentalis defendit tria Capitula ſumpta formaliter & reſpectivè ad proceſſum Concilii Chalcedonenſis, quo modo ſumpta defendenda erāt.

Hæc eſt, meo judicio, vera ratio quæſitæ concordiæ, in quâ nihil admodùm eſt, quod diſplicere poſſit, niſi fortè quòd noſtra eſt, & videri poteſt gratis inventa. Sed profectò fundatiſſima eſt, & vobis, ut ſpero, pluſquàm probabilis fiet. Primò. Ex ipſâ totius controverſiæ occaſione, quam dederunt ſemi-Eutychiani, Synodum Chalcedonenſem, à quâ damnati fuerant, circa tria Capitula, non rectè proceſſiſſe criminantes: nam contra illos hoc ſolùm defendere habuit Eccleſia, Synodum Chalcedonenſem circa tria Capitula rectè proceſſiſſe. Secundò. Ex fine ſuſceptæ defenſionis. Nam ideò

Eccleſia verò Oriētalis tria Capitula damnavit ſumpta materialiter & abſolutè quo modo

erant damnanda.

Demonſtratur ea ratio concordiæ inter utramque Eccleſiam.

Primò. Ex ipsâ occaſione totius controverſiæ.

Secundò. Ex fine ſuſceptæ defenſionis trium Capitulorum.

Tertiò. Ex reſiſtentiâ Occidentalium ne novum Concilium cogeretur.

Fuit tamen diſcordia aliqua Occidentalem inter & Orientalem Eccleſiam.

In eo poſita, quòd Eccleſia Occidentalis defenderet tria

tantùm ſuſcepta eſt defenſio trium Capitulorum, ut Synodi Chalcedonenſis ſtaret authoritas; ſtabat autem tota in eo ipſo, quòd ſtabat Synodum Chalcedonenſem circa tria Capitula rectè proceſſiſſe. Tertiò. Ex obſtinatâ Occidentalium reſiſtentiâ, ne novum Concilium cogeretur in cauſâ trium Capitulorum; quia ſcilicet per novi Concilii celebrationem, Concilio Chalcedonenſi derogari aliquo modo videbatur. Ergo Eccleſia Occidentalis tria Capitula defendens, nihil aliud propriè, poſitivè & definitivè defendit, quàm rectum & legitimum fuiſſe Concilii Chalcedonenſis proceſſum circa tria Capitula, & defenſio trium Capitulorum, prout ab Eccleſiâ Occidentali ſuſcepta eſt, nihil aliud fuit in re, quàm Concilii Chalcedonenſis defenſio.

Rem finitam putatis, finita non eſt, nihil diſſimulo. Negari non poteſt, quin Eccleſia Occidentalis tria Capitula defenderit, etiam materialiter & abſolutè ſumpta: fuit enim magna diſcordia Orientalem inter & Occidentalem Eccleſiam de tribus Capitulis; ſed ea diſcordia non fuit de tribus Capitulis formaliter ſumptis, & reſpectivè ad proceſſum Concilii Chalcedonenſis: Nam eum proceſſum rectum ac legitimum fuiſſe, Eccleſia ipſa Orientalis fatebatur. Ergo diſcordia fuit de tribus Capitulis materialiter & abſolutè ſumptis. Eccleſia Occidentalis, fateor, tria Capitula etiam materialiter & abſolutè ſumpta defendit; ſed *negativâ tantùm, & non poſitivâ defenſione.* Tria capitula defendit, non quatenùs ea credidit eſſe innoxia, ſed quatenùs ea damnari noluit, quantumvis in ſe damnabilia.

Tria

Tria Capitula defendit, quo ferè modo interdùm defenditur is; qui reus eſſe cognoſcitur. Nam ſicut non ſemper expedit, eum damnari qui verè reus eſt; ita tria Capitula, quamtumvis damnabilia erant, damnari non expediebat. Tota ergo defenſio triuin Capitulorum; quam ſuſcepit Occidentalis Eccleſia, ad duo capita reducitur. Unum eſt poſitivæ defenſionis contra Eutychianos. Alterum negativæ contra Catholicos Orientales: Atqui in neutro Capite erravit Occidentalis Eccleſia: non in Capite defenſionis poſitivæ; quia proceſſus Concilii Chalcedonenſis rectus & legitimus erat: non in Capite defenſionis negativæ, quia reipſâ non expediebat tria Capitula damnari, & orbem Chriſtianum propter carioſos Eutychianos iterùm commoveri.

Capitula etiam materialiter ſumpta negativâ aliquâ defenſione, quatenus ea damnari nolebat, quæ volebat damnari Eccleſia Orientalis. Ita autem ea damnari nolebat Eccleſia Occidentalis; ut ea materialiter ſumpta, poſitivè non defenderet.

Honeſta quidem, obmurmurat aliquis, via concordiæ, ſi veritati congrueret: ſed planè non congruit. Defendebantur enim in Occidente tria Capitula etiam materialiter & abſolutè ſumpta, neque negativè tantùm, ſed etiam poſitivè; cujus rei teſtem habemus, Victorem Tomnonenſem Epiſcopum, teſtem Liberatum Diaconum Carthaginenſem, teſtem Facundum Hermianenſem, in ſuo eleganti opere de tribus Capitulis. Ergo quæcumque hactenùs dicta ſunt ad aſſentationem magis, quàm ad veritatem videntur eſſe compoſita; & ſemper manet quod tantoperè fugimus; Eccleſiam Occidentalem in defenſione trium Capitulorum erraſſe.

Eſto Occidentales aliqui tria Capitula materialiter ſumpta poſitivè defenderent.

Agnoſco ex murmure & ſibilo ſuſurronem quemdam, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *ſuperficialem lectorem*, ut loquitur Auguſtinus, *magis quàm*

*profundum intellectorem*, cui Hiſtoriam Legenti, perpetuò dici poſſet, *putaſne intelligis quæ legis?* adeò privatorum ſenſum, cum totius Eccleſiæ ſenſu obtusè confundit. Multiplex fuit, non diffiteor, in Occidente de tribus Capitulis privatorum hominum ſenſus; nam aliqui tria Capitula defendebant materialiter & abſolutè ſumpta; damnabant alii; plerique ſuſpenſo judicio hærebant; credebatur à nonnullis tria Capitula fuiſſe approbata Chalcedone; negabatur ab aliis; dubitabatur à multis. Sed in tantâ ſenſuum varietate, conveniebant ferè omnes, Concilium Chalcedonenſe, circa tria Capitula, rectè & legitimè proceſſiſſe. Atque hic generalis omnium ſenſus pro vero Eccleſiæ ſenſu habendus eſt. Ego autem Eccleſiam Occidentalem ab errore ſic vindicare habeo, ut ſingulos Occidentales vindicare nolim. Eſto igitur Facundus, Liberatus, Victor, & ſi qui alii, poſitivè defenderint tria Capitula materialiter ſumpta: non defendit tamen Eccleſia Occidentalis; quæ ferè præſcindens ab examine & judicio trium Capitulorum, hoc ſolùm conſtanter & unanimiter tuebatur, rectum & legitimum fuiſſe Synodi Chalcedonenſis circa tria Capitula proceſſum.

*Act. c.8.*

Privatorum ille ſenſus fuit non totius Eccleſiæ.

Atqui (inſurgunt novo impetu Hæretici) Concilium Chalcedonenſe non rectè proceſſit in negotio trium Capitulorum; erravit enim approbando tria Capitula, niſi fortè malumus Conſtantinopolitanum erraſſe damnando, quod profectò eſt in eodem luto hæſitare, & pro uno ſcopulo evitando impingere in alium, ſtolidèque naufragari. Nam ex duobus Conciliis,

Secunda pars. Proponitur argumentum Hæreticorũ contra infallibilitatem Eccleſiæ in

quorum unum approbat, quod alterum damnat neceſſe eſt errare alterutrum. Atqui Concilium Chalcedonenſe approbat tria Capitula, & tria Capitula damnat Concilium Conſtantinopolitanum, ergo neceſſe eſt errare vel Chalcedonenſe approbando, vel Conſtantinopolitanum damnando. Videtis deductum me ad alteram partem defenſionis noſtræ, quæ eſt defenſio Eccleſiæ, in Concilio congregatæ, & quidem ita neceſſaria, ut ſine illâ prior defenſio ſtare non poſſit.

Concilio congregatæ.

Fateor, quod negari non poteſt, tria Capitula fuiſſe expreſſè & diſtinctè damnata in Concilio Conſtantinopolitano ſecundo, quod eſt ordine generale quintum: nam legimus Capitulo duodecimo. *Si quis defendit impium Theodorum Mopſueſtenum & impia ejus conſcripta, talis Anathema ſit.* Legimus Capitulo decimo tertio. *Si quis defendit impia Theodoreti conſcripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Epheſinam ſanctam Synodum, & ſanctum Cyrillum, & duodecim ejus Capitula expoſuit, talis Anathema ſit.* Legimus deniquè Capitulo decimo quarto. *Si quis defendit impiam Epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam Hæreticum ſcripſiſſe, talis Anathema ſit.*

Tria quidem Capitula fuere expreſſè & diſtinctè damnata in Concilio Conſtantinopolitano quod eſt generale quintum.

Fateor item bonâ fide, videri ſtatim, & primo intuitu, tria Capitula in Concilio Chalcedonenſi fuiſſe aliquo modò approbata. Habemus enim Theodoretum Cyrenſem, actione Concilii octavâ, poſt Anathema dictum Neſtorio, reſtitutum honorificè in ſuam ſedem, idque ſine ullâ damnatione ſcriptorum ejus, adversùs Cyrillum. Habemus actione nonâ & decimâ retractatas fuiſſe Synodos Tyriam, ac Beryten-

Eademque aliquo modo videntur fuiſſe approbata in Concilio Chalcedonenſi, ut innuunt Concilii acta.

ſem : de Ibâ Metropolitâ Edeſſeno , ac de eò ; ejuſque Epiſtolâ ad Marim Perſam, ex ſententiâ Legatorum Romanorum , & Synodo approbante, ſic fuiſſe definitum. *Relectis chartis*, inquiunt Patres , *agnovimus Ibam Reverendiſſimum*, *innoxium approbari : relectâ enim Epiſtolâ cognovimus eum eſſe Orthodoxum , eique propter hoc decernimus , & honorem Epiſcopatûs , & Eccleſiam , à quâ injuſtè & abſens expulſus eſt ; reſtituendam.* De perſonâ quidem aut ſcriptis Theodori Mopſueſteni, nihil ſpeciale invenio in Synodo Chalcedonenſi, ſed iſtius Capituli approbatio cenſeri potuit contenta in approbatione Epiſtolæ Ibæ Theodorum laudantis. Nam famoſa illa Epiſtola, ſola in ſe una, tria Capitula continebat, Theodori ſcilicet laudem, ſcriptorum Theodoreti adversùs Cyrillum commendationem, & privatum ipſius Ibæ ſcribentis ſenſum.

Difficultas tamen magna non eſt in primo Capitulo circa Theodori Mopſueſteni perſonam.

Quibus ita conſtitutis , ſecundùm Hiſtoriæ veritatem & fidem, magna , ut videtis, difficultas non eſt in primo Capitulò , de Theodori Mopſueſteni perſonâ : tum quia Concilium Chalcedonenſe perſonam Theodori nuſquàm approbavit , aut ſi approbavit , obiter tantùm & non Canonicè approbavit : tum quia quæſtio de Theodori perſonâ, quæſtio facti criminalis eſt, in quo genere Concilium generale , etiam Canonicè procedens errare poteſt. Me certè nihil movet , quòd Synodus Chalcedonenſis memoriam Theodori ſub ovinâ pelle producti, obiter & ſine ulteriori examine laudaverit ; deindè verò Synodus Conſtantinopolitana, poſt accuratum totius cauſæ examen, eumdem lupum

inventum, pelle detractâ, Anathemate perculerit, extra caſtra Eccleſiæ ejecerit, ſepultum exhumarit, cineribus in ventos projectis. Quia *culpa in fide,* inquit Pelagius ſecundus, *ne morte quidem interveniente laxatur.* Quarè meritò ipſemet Facundus Hermianenſis, magnus trium Capitulorum defenſor ad Vigilium in Conventu Conſtantinopolitano; *Ego*, inquit, *fateor ſimpliciter beatitudini veſtræ, non pro Theodori Mopſueſteni damnatione, me à contradicentium communione ſubtraxiſſe, hoc enim, vel ſi approbandum non ſit, ferendum tamen exiſtimo, nec tantam eſſe cauſam judico, pro quâ deberemus à communione multitudinis ſegregari: ſed quia ex perſonâ Theodori, Epiſtolam Ibæ Neſtorianam probare conati ſunt, & ex Epiſtolâ, Synodum à quâ ſuſcepta eſt, improbare.* Neque item difficilis eſt utriuſque Concilii concordia in ſecundo Capitulo, de perſonâ & ſcriptis Theodoreti: nam perſonam Theodoreti, in communionem quidem admiſit Synodus Chalcedonenſis, ſed nuſquàm damnavit Conſtantinopolitana Synodus. Scripta vero Theodoreti contra Cyrillum ita reprobata ſunt Conſtantinopoli, ut nunquam fuerint approbata Chalcedone, ſaltem approbatione Canonicâ. Tota ergo difficultas, ad tertium Capitulum, ſeu Epiſtolam Ibæ reducitur. Hæc eſt famoſa Epiſtola, fatale pomum diſcordiæ Deos deaſque omnes, hoc eſt Eccleſias, Eccleſiarumque Paſtores, malè invicem committens. Hæc eſt nova Helena Græcorum, non Trojani, ſed Eccleſiaſtici cauſa incendii, ex cujus frigidis cineribus, miſeriſque fragmentis extinctum quod credebatur incendium revi-

*Lib. 2. c. 3.*

Neque item difficilis eſt utriuſque Concilii concordia in ſecundo Capitulo.

Tota difficultas reducitur ad tertiũ Capitulum, ſeu ad Epiſtolam Ibæ.

Concilii quinti.

carunt, ad tollendum ſcandalum trium Capitulorum, & tranquillandos Occidentalium animos, quos violatæ Synodi Chalcedonenſis umbra ipſa turbaverat. Maneat ergo ſua integritas Concilio Chalcedonenſi: neque enim in eo ſtatu eſt, ut propter vitam famæ & authoritatis tuendam, malè ſani inſtar corporis mediâ ſui parte mutilari aut truncari debeat. Intra ſex quidem actiones priores abſolutum eſt negotium fidei, & quæ in iis ſcriptæ ſunt definitiones, ſpeciali approbatione donavit Leo magnus, irreformabiles eſſe volens, cæteris, quæ poſt ſextam actionem facta ſunt, Conciliarem authoritatem reliquit, generali quâdam & tacitâ approbatione contentus; excepto tamen Canone vigeſimo octavo de prærogativâ ſedium, cui Legati Romani apertè interceſſerant actione decimâ quintâ, ipſeque Leo magnus authoritate Apoſtolicâ expreſſè derogavit.

Stet ergo ſua integritas Concilio Chalcedonenſi.

*Excepto Can. 28. de ſedium prærogativa.*

Lupus Yprenſis in ſuis notis ſupra Canones Concilii quinti c. 5. aliam obiter indicat, nec ſatis pro rei merito explicat viam concordiæ primâ ſpecie paradoxam: ſic autem ferè habet. Eſto, approbata ſit Epiſtola Ibæ in Synodo Chalcedonenſi, & damnata eadem in Concilio Conſtantinopolitano, neutra tamen Synodus erravit; non Synodus approbans, quia Epiſtolam approbavit in ſenſu Catholico; non Synodus damnans, quia Epiſtolam in ſenſu Hæretico damnavit. Expectatis, credo, ut rem totam explicatione aliquâ illuſtrem. Obſervate igitur, Auditores, ut ſunt nonnullæ propoſitiones ſimplices, rotundæ, determinatæ, immutabiles, unicum habentes ſenſum, eumque conſtantem &

Lupus Yprenſis aliā viam concordiæ ſuggerit ſatis paradoxā; vult enim neutram erraſſe Synodum quamvis una Epiſtolam Ibæ approbarit, damnarit altera; quia una approbavit in

invariabilem ; ita eſſe propoſitiones quaſdam ambiguas, indeterminatas, ancipites, duplicem ſenſum habentes, eumque pro variis, loci, temporis, & perſonarum circumſtantiis variabilem : ejuſmodi autem propoſitiones, aliquandò & damnari poſſunt, & approbari. Approbari in uno ſenſu, & damnari in alio. Patebit res in exemplis. Legiſtis, nec fortè ſine ſtupore legiſtis, eaſdem aliquas propoſitiones, iiſdem omninò verbis expreſſas apud Auguſtinum & Janſenium; abſolvuntur in Auguſtino, & damnantur in Janſenio : nec mirùm, quia, quem ſenſum habent in Janſenio, in Auguſtino non habent. Audiſtis famoſam illam formulam Sirmienſem à Semi-Arianis compoſitam, in quâ aſſerebatur Filius *æqualis aut ſimilis Patri in ſubſtantiâ* ; ea formula Hæretica erat in ore Urſatii, aut Valentis, eademque in ore Hilarii, aut Liberii Catholica. Hæretica erat in ore Urſatii, aut Valentis, quia in ore Urſatii, aut Valentis ſignificabat Filium æqualem aut ſimilem Patri per diverſam ſubſtantiam, quod Hæreticum & Arianum eſt. Catholica erat in ore Liberii, aut Hilarii, quia in ore Hilarii, aut Liberii, ſignificabat Filium æqualem eſſe aut ſimilem Patri per eandem ſubſtantiam, quod eſt Catholicum. Scitis varios eventus vulgatæ illius propoſitionis, *unus de Trinitate crucifixus eſt,* Damnavit illam Hormiſdas Pontifex, Joannes quintus approbavit, quia ſcilicet una & eadem propoſitio Eutychiani & Catholici ſenſus capax, temporibus Hormiſdæ determinabatur in ſenſum Eutychianum, temporibus Joannis in Catholicum. Stet igitur unam eandemque propoſitionem æquivocam &

ſenſu Catholico, altera damnavit in ſenſu Hæretico, Illuſtratur tota iſta res.

Poteſt quidem una propoſitio ambigua duplicem ſenſum habens approbari ab Eccleſiâ in uno ſenſu, ac deinde damnari in alio, id quod patet multis exemplis.

verbis ambiguis expreſſam, poſſe aliquandò approbari ab Eccleſiâ, in uno ſenſu, ac deindè damnari in alio. Atqui Epiſtola Ibæ, quatenùs dogmatica eſt, videtur fuiſſe æquivoca, & in varios ſenſus determinabilis, Catholicum & Neſtorianum. Nam vitium Epiſtolæ in eo præſertim erat, quòd Chriſtum appellaret *templum Dei Verbi, quaſi alius eſſet Deus Verbum, & alius homo.* Sed hoc totum verti poterat in ſenſum Catholicum. Nam *cui Catholico*, ajebat pulchrè Facundus Epiſtolæ defenſor, *cui Catholico diſplicere poſſit differentia naturalis inter templum, & inhabitantem in eo? cùm Dei Eccleſia ſic confiteatur Verbum carnem factum, ut non deneget quod ibi ſubjunctum eſt, & habitavit in nobis. Nam Verbum quidem caro factum eſt, quia ſempiternus Dei Filius, qui Verbum eſt Patris, ipſe in plenitudine temporum factus eſt homo; habitavit autem in nobis, quia nullam converſionem ſuſtinuit inconvertibilis ejus divinitas, ſed manens quod erat, naturam inhabitavit aſſumptam: & ideo, Verbum caro factum eſt, Neſtorianos expugnat, Eutychianos autem, & habitavit in nobis; quia, Verbum caro factum eſt, unam ſignificat eſſe perſonam; habitavit autem in nobis, duas inconfusè naturas. Non enim poſſunt duæ eſſe perſonæ, quandò is qui Verbum eſt, ipſe etiam factus eſt caro; aut duæ non eſſe naturæ, quandò aliud ſit quod inhabitat, & aliud quod inhabitatur.* Ita eleganter & Catholicè Facundus. Ergo, ut videtis, potuit Chriſtus in ſenſu Catholico appellari *templum Dei Verbi*, ac proindè potuit Epiſtola Ibæ eo ſenſu accepta Chalcedone approbari; ſed potuit eadem dam-

Et talis fuiſſe videtur Epiſtola Ibæ Neſtorianum ſenſum habens & ſimul Catholicum.

*Lib. 6. c. 4.*

Potuit ergo in ſenſu Catholico approbari

nari Conſtantinopoli, quia potuit accipi in ſenſu Neſtoriano, uti fortè tunc paſſim accipiebatur. Neſtorius enim & Neſtoriani abuti ſolebant illis Evangelii Verbis, *& habitavit in nobis,* Chriſtum ita appellantes *templum Dei Verbi,* ut Deum eſſe negarent.

Chalcedone, eademque in ſenſu Neſtoriano damnari Conſtantinopoli.

Suſpicor hîc, Auditores, alicui Yprenſi Janſenii populari, aut amico, non diſplicere concordiæ rationem jam explicatam; quòd ſpem aliquam faciat, Eccleſiam propoſitiones Janſenii, quas hodiè damnat, aliquandò approbaturam, eâdem rerum viciſſitudine, quâ Epiſtolam Ibæ antea in uno ſenſu approbatam, in alio poſtmodùm ſenſu damnavit. Sed quàm vana eſt ſpes iſta hominis? Propoſitiones enim Janſenii jam damnavit Eccleſia in ſenſu ipſo Janſenii, ſeu determinatas ad ſenſum naturalem, quem habent in libro Janſenii. Ergo non magis poteſt Eccleſia eas deinceps in ſenſu Janſenii approbare, quàm Epiſtolam Ibæ in ſenſu Neſtorii: quia, non minùs hæreticus eſt ſenſus Janſenii, quàm ſenſus Neſtorii. Mihi tamen quærenti, non quid eſſe poſſit, ſed quid reipſâ ſit, ſubtilis hæc ratio concordiæ non placet: ideò autem non placet; quia, ſi Concilium Chalcedonenſe Epiſtolam Ibæ aliquo ſenſu approbaſſet, diſtinxiſſent Patres Conſtantinopolitani ſenſum approbatum, ab eo ſenſu quem ipſi damnabant, ut eâ nimirùm diſtinctione, & Eutychianis oblatrantibus os obſtruerent, & Catholicis Occidentalibus ſatisfacerent, & Concilii Chalcedonènſis dignitati conſulerent. Senſum autem à ſenſu non diſtinxerunt. Ergo gratis fingitur Epiſtola Ibæ approbata fuiſſe Chal-

Ex quâ ratione concordiæ fit fortè ſpes aliqua Janſeniſtis futurum ſimiliter, ut quas hodie Janſenii propoſitiones Eccleſia damnat, aliquando approbet.

Sed vana illa ſpes eſt, quia damnat Eccleſia propoſitiones Janſenii determinatas ad ipſum Janſenii ſensũ.

Subtilis hæc ratio concordiæ non placet. Quia Patres Conſtantinopolitani ſen-

tantùm ſuſcepta eſt defenſio trium Capitulorum, ut Synodi Chalcedonenſis ſtaret authoritas; ſtabat autem tota in eo ipſo, quod ſtabat Synodum Chalcedonenſem circa tria Capitula rectè proceſſiſſe. Tertiò. Ex obſtinatâ Occidentalium reſiſtentiâ, ne novum Concilium cogeretur in cauſâ trium Capitulorum; quia ſcilicet per novi Concilii celebrationem, Concilio Chalcedonenſi derogari aliquo modo videbatur. Ergo Eccleſia Occidentalis tria Capitula defendens, nihil aliud propriè, poſitivè & definitivè defendit, quàm rectum & legitimum fuiſſe Concilii Chalcedonenſis proceſſum circa tria Capitula, & defenſio trium Capitulorum, prout ab Eccleſiâ Occidentali ſuſcepta eſt, nihil aliud fuit in re, quàm Concilii Chalcedonenſis defenſio.

erant damnanda.

Demonſtratur ea ratio concordiæ inter utramque Eccleſiam.

Primò. Ex ipsâ occaſione totius controverſiæ.

Secundò. Ex fine ſuſceptæ defenſionis trium Capitulorum.

Tertiò. Ex reſiſtentiâ Occidentalium ne novum Concilium cogeretur.

Rem finitam putatis, finita non eſt, nihil diſſimulo. Negari non poteſt, quin Eccleſia Occidentalis tria Capitula defenderit, etiam materialiter & abſolutè ſumpta: fuit enim magna diſcordia Orientalem inter & Occidentalem Eccleſiam de tribus Capitulis; ſed ea diſcordia non fuit de tribus Capitulis formaliter ſumptis, & reſpectivè ad proceſſum Concilii Chalcedonenſis: Nam eum proceſſum rectum ac legitimum fuiſſe, Eccleſia ipſa Orientalis fatebatur. Ergo diſcordia fuit de tribus Capitulis materialiter & abſolutè ſumptis. Eccleſia Occidentalis, fateor, tria Capitula etiam materialiter & abſolutè ſumpta defendit; ſed *negativâ tantùm, & non poſitivâ defenſione*. Tria capitula defendit, non quatenùs ea credidit eſſe innoxia, ſed quatenùs ea damnari noluit, quantumvis in ſe damnabilia.

Fuit tamen diſcordia aliqua Occidentalem inter & Orientalem Eccleſiam.

In eo poſita, quòd Eccleſia Occidentalis defenderet tria

Tria

Tria Capitula defendit, quo ferè modo interdùm defenditur is; qui reus eſſe cognoſcitur. Nam ſicut non ſemper expedit, eum damnari qui verè reus eſt; ita tria Capitula, quamtùmvis damnabilia erant, damnari non expediebat. Tota ergo defenſio triuin Capitulorum; quam ſuſcepit Occidentalis Eccleſia, ad duo capita reducitur. Unum eſt poſitivæ defenſionis contra Eutychianos. Alterum negativæ contra Catholicos Orientales: Atqui in neutro Capite erravit Occidentalis Eccleſia: non in Capite defenſionis poſitivæ; quia proceſſus Concilii Chalcedonenſis rectus & legitimus erat: non in Capite defenſionis negativæ, quia reipsâ non expediebat tria Capitula damnari, & orbem Chriſtianum propter carioſos Eutychianos iterùm commoveri.

Capitula etiam materialiter ſumpta negativâ aliquâ defenſione, quatenus ea damnari nolebat, quæ volebat damnari Eccleſia Orientalis. Ita autem ea damnari nolebat Eccleſia Occidentalis; ut ea materialiter ſumpta, poſitivè non defenderet.

Honeſta quidem, obmurmurat aliquis, via concordiæ, ſi veritati congrueret: ſed planè non congruit. Defendebantur enim in Occidente tria Capitula etiam materialiter & abſolutè ſumpta, neque negativè tantùm, ſed etiam poſitivè; cujus rei teſtem habemus, Victorem Tomnonenſem Epiſcopum, teſtem Liberatum Diaconum Carthaginenſem, teſtem Facundum Hermianenſem, in ſuo eleganti opere de tribus Capitulis. Ergo quæcumque hactenùs dicta ſunt ad aſſentationem magis, quàm ad veritatem videntur eſſe compoſita; & ſemper manet quod tantoperè fugimus, Eccleſiam Occidentalem in defenſione trium Capitulorum erraſſe. Agnoſco ex murmure & ſibilo ſuſurronem quemdam, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *ſuperficialem lectorem*, ut loquitur Auguſtinus, *magis quàm*

Eſto Occidentales aliqui tria Capitula materialiter ſumpta poſitivè defenderent.

*profundum intellectorem*, cui Hiſtoriam Legenti, perpetuò dici poſſet, *putaſne intelligis quæ legis?* adeò privatorum ſenſum, cum totius Eccleſiæ ſenſu obtusè confundit. Multiplex fuit, non diffiteor, in Occidente de tribus Capitulis privatorum hominum ſenſus; nam aliqui tria Capitula defendebant materialiter & abſolutè ſumpta; damnabant alii; plerique ſuſpenſo judicio hærebant; credebatur à nonnullis tria Capitula fuiſſe approbata Chalcedone; negabatur ab aliis; dubitabatur à multis. Sed in tantâ ſenſuum varietate, conveniebant ferè omnes, Concilium Chalcedonenſe, circa tria Capitula, rectè & legitimè proceſſiſſe. Atque hic generalis omnium ſenſus pro vero Eccleſiæ ſenſu habendus eſt. Ego autem Eccleſiam Occidentalem ab errore ſic vindicare habeo, ut ſingulos Occidentales vindicare nolim. Eſto igitur Facundus, Liberatus, Victor, & ſi qui alii, poſitivè defenderint tria Capitula materialiter ſumpta: non defendit tamen Eccleſia Occidentalis; quæ ferè præſcindens ab examine & judicio trium Capitulorum, hoc ſolùm conſtanter & unanimiter tuebatur, rectum & legitimum fuiſſe Synodi Chalcedonenſis circa tria Capitula proceſſum.

*Act. c.8.*

Privatorum ille ſenſus fuit non totius Eccleſiæ.

Atqui (inſurgunt novo impetu Hæretici) Concilium Chalcedonenſe non rectè proceſſit in negotio trium Capitulorum; erravit enim approbando tria Capitula, niſi fortè malumus Conſtantinopolitanum erraſſe damnando, quod profectò eſt in eodem luto hæſitare, & pro uno ſcopulo evitando impingere in alium, ſtolidèque naufragari. Nam ex duobus Conciliis,

Secunda pars. Proponitur argumentum Hæreticorũ contra infallibilitatem Eccleſiæ in

quorum unum approbat, quod alterum damnat neceſſe eſt errare alterutrum. Atqui Concilium Chalcedonenſe approbat tria Capitula, & tria Capitula damnat Concilium Conſtantinopolitanum, ergo neceſſe eſt errare vel Chalcedonenſe approbando, vel Conſtantinopolitanum damnando. Videtis deductum me ad alteram partem defenſionis noſtræ, quæ eſt defenſio Eccleſiæ, in Concilio congregatæ, & quidem ita neceſſaria, ut ſine illâ prior defenſio ſtare non poſſit. Concilio congregatæ.

Fateor, quod negari non poteſt, tria Capitula fuiſſe expreſſè & diſtinctè damnata in Concilio Conſtantinopolitano ſecundo, quod eſt ordine generale quintum: nam legimus Capitulo duodecimo. *Si quis defendit impium Theodorum Mopſueſtenum & impia ejus conſcripta, talis Anathema ſit.* Legimus Capitulo decimo tertio. *Si quis defendit impia Theodoreti conſcripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Epheſinam ſanctam Synodum, & ſanctum Cyrillum, & duodecim ejus Capitula expoſuit, talis Anathema ſit.* Legimus deniquè Capitulo decimo quarto. *Si quis defendit impiam Epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam Hæreticum ſcripſiſſe, talis Anathema ſit.* Tria quidem Capitula fuere expreſſè & diſtinctè damnata in Concilio Conſtantinopolitano quod eſt generale quintum.

Fateor item bonâ fide, videri ſtatim, & primo intuitu, tria Capitula in Concilio Chalcedonenſi fuiſſe aliquo modò approbata. Habemus enim Theodoretum Cyrenſem, actione Concilii octavâ, poſt Anathema dictum Neſtorio, reſtitutum honorificè in ſuam ſedem, idque ſine ullâ damnatione ſcriptorum ejus, adversùs Cyrillum. Habemus actione nonâ & decimâ retractatas fuiſſe Synodos Tyriam, ac Beryten- Eademque aliquo modo videntur fuiſſe approbata in Concilio Chalcedonenſi, ut innuunt Concilii acta.

ſem : de Ibâ Metropolitâ Edeſſeno , ac de eô ; ejuſque Epiſtolâ ad Marim Perſam, ex ſententiâ Legatorum Romanorum , & Synodo approbante, ſic fuiſſe definitum. *Relectis chartis*, inquiunt Patres , *agnovimus Ibam Reverendiſſimum, innoxium approbari : relectâ enim Epiſtolâ cognovimus eum eſſe Orthodoxum , eique propter hoc decernimus, & honorem Epiſcopatûs, & Eccleſiam, à quâ injuſtè & abſens expulſus eſt ; reſtituendam.* De perſonâ quidem aut ſcriptis Theodori Mopſueſteni, nihil ſpeciale invenio in Synodo Chalcedonenſi, ſed iſtius Capituli approbatio cenſeri potuit contenta in approbatione Epiſtolæ Ibæ Theodorum laudantis. Nam famoſa illa Epiſtola, ſola in ſe una, tria Capitula continebat, Theodori ſcilicet laudem, ſcriptorum Theodoreti adversùs Cyrillum commendationem, & privatum ipſius Ibæ ſcribentis ſenſum.

Difficultas tamen magna non eſt in primo Capitulo circa Theodori Mopſueſteni perſonam.

Quibus ita conſtitutis , ſecundùm Hiſtoriæ veritatem & fidem, magna , ut videtis, difficultas non eſt in primo Capitulò , de Theodori Mopſueſteni perſonâ : tum quia Concilium Chalcedonenſe perſonam Theodori nuſquàm approbavit , aut ſi approbavit , obiter tantùm & non Canonicè approbavit : tum quia quæſtio de Theodori perſonâ, quæſtio facti criminalis eſt, in quo genere Concilium generale , etiam Canonicè procedens errare poteſt. Me certè nihil movet , quòd Synodus Chalcedonenſis memoriam Theodori ſub ovinâ pelle producti, obiter & ſine ulteriori examine laudaverit ; deindè verò Synodus Conſtantinopolitana, poſt accuratum totius cauſæ examen, eumdem lupum

inventum, pelle detractâ, Anathemate perculerit, extra caſtra Eccleſiæ ejecerit, ſepultum exhumarit, cineribus in ventos projectis. Quia *culpa in fide,* inquit Pelagius ſecundus, *ne morte quidem interveniente laxatur.* Quarè meritò ipſemet Facundus Hermianenſis, magnus trium Capitulorum defenſor ad Vigilium in Conventu Conſtantinopolitano; *Ego*, inquit, *fateor ſimpliciter beatitudini veſtræ, non pro Theodori Mopſueſteni damnatione, me à contradicentium communione ſubtraxiſſe, hoc enim, vel ſi approbandum non ſit, ferendum tamen exiſtimo, nec tantam eſſe cauſam judico, pro quâ deberemus à communione multitudinis ſegregari: ſed quia ex perſonâ Theodori, Epiſtolam Ibæ Neſtorianam probare conati ſunt, & ex Epiſtolâ, Synodum à quâ ſuſcepta eſt, improbare.* Neque item difficilis eſt utriuſque Concilii concordia in ſecundo Capitulo, de perſonâ & ſcriptis Theodoreti: nam perſonam Theodoreti, in communionem quidem admiſit Synodus Chalcedonenſis, ſed nuſquàm damnavit Conſtantinopolitana Synodus. Scripta vero Theodoreti contra Cyrillum ita reprobata ſunt Conſtantinopoli, ut nunquam fuerint approbata Chalcedone, ſaltem approbatione Canonicâ. Tota ergo difficultas, ad tertium Capitulum, ſeu Epiſtolam Ibæ reducitur. Hæc eſt famoſa Epiſtola, fatale pomum diſcordiæ Deos deaſque omnes, hoc eſt Eccleſias, Eccleſiarumque Paſtores, malè invicem committens. Hæc eſt nova Helena Græcorum, non Trojani, ſed Eccleſiaſtici cauſa incendii, ex cujus frigidis cineribus, miſeriſque fragmentis extinctum quod credebatur incendium revi-

*Lib. 2. c. 3.*

Neque item difficilis eſt utriuſque Concilii concordia in ſecundo Capitulo.

Tota difficultas reducitur ad tertiũ Capitulum, ſeu ad Epiſtolam Ibæ.

viſcit, & ſopita diſcordia excitatur. Cauſa diſcordiæ hæc eſt, quòd Epiſtola videatur & approbata Chalcedone, ut Catholica, & damnata Conſtantinopoli, ut Neſtoriana.

De concordiâ parùm curantes Schiſmatici infallibilitatem negabant Concilio Conſtantinopolitano tamquam illegitimo. Sed negari hodiè non poteſt poſt confirmationẽ Pontificis & univerſæ Eccleſiæ conſenſum. Quare totus labor eſſe debet in Concilio Chalcedonenſi vindicando. Vindicabat Pelagius ſecundus diſtinguens priora Concilii à poſterioribus.

Occurrit ſtatim pro concordiâ, quod olim pleno ore ſpargebant Schiſmatici, Concilium Conſtantinopolitanum non fuiſſe legitimum, aut plenè Oecumenicum, Epiſtolam Ibæ nullo ſuo merito damnaſſe, & damnando erraſſe. Hæc quidem olim à Schiſmaticis dicebantur, ſed nunc à Catholicis dici non poſſunt, quando Vigilius Pontifex Concilium quintum confirmavit, & damnationi trium Capitulorum univerſa Eccleſia acquievit. Quamvis enim Concilium quintum non habeat à ſe & ab origine ſuâ authoritatem ſummam, ſummam tamen habet *ex poſt-facto*, ut loquuntur, ſeu ex confirmatione Pontificis, & univerſæ Eccleſiæ conſenſu; quare pro certo tenendum eſt Epiſtolam Ibæ à Concilio quinto rectè eſſe damnatam, & totus labor debet eſſe in vindicando Concilio Chalcedonenſi Epiſtolam Neſtorianam, ut videtur, approbante.

Vindicabat olim Pelagius ſecundus apud Epiſcopos Iſtriæ diſtinguens poſteriora Concilii Chalcedonenſis à prioribus; quo ferè modo poſteriora Arimini diſtinguebat olim Athanaſius à vero Concilio Ariminenſi: nimirùm volebat magnus Pontifex Synodum Chalcedonenſem ſex actionibus contineri, & actione ſextâ finitam fuiſſe Synodum; quia actione ſextâ, poſt abſolutum fidei negotium à ſancto Leone commendatum, Epiſcopi jam officio ſuo functi, ad Imperatorem Marcianum clamaverant, *ſuppli-*

*camus, pie Imperator, dimitte nos*; reſpondente pio principe, *multùm quidem eſtis fatigati, verumtamen ſuſtinete adhuc tres aut quatuor dies*: nam hinc ſequitur, quæ poſt ſextam actionem facta ſunt, nec authoritatem habere Concilii Chalcedonenſis, nec ſancti Leonis confirmationem. Atqui Epiſtola Ibæ approbata eſt actione nonâ aut decimâ, ergo approbata eſt Concilio jam finito, ab Epiſcopis Imperatore retinente ſuperſtitibus, quos propterea nihil vetat, in ſuâ approbatione erraſſe, minimè Conciliari & Canonicâ. Veneror ego, Auditores, uti debeo Pelagium ſecundum magnum Pontificem, ejuſque zelum ac prudentiam laudo, in reducendis ad Eccleſiam Schiſmaticis, ſed planè, ne diſtinctionem illius ſequar, duo præſertim abſterrent. Unum eſt, quòd in ſextâ actione non videatur Concilium fuiſſe finitum; quamvis enim Epiſcopi miſſionem ab Imperatore petierint, non obtinuerunt tamen, ſed eo rogante liberè perſeverarunt multa tractare Synodicè. Ergo ultra ſextam actionem protractum Concilium eſt: nec verò finiri poteſt Concilium antè editos Canones, quippè quos oportet in Concilio recitari & approbari; Canones autem Chalcedonenſes editi ſunt actione decimâ quintâ. Ergo ante actionem decimam quintam finitum Concilium non erat, ac proindè finitum non erat actione nonâ aut decimâ, quâ tamen actione judicata eſt Ibæ Epiſtola. Alterum quô minus placet diſtinctio Pelagii, eſt, quia ea diſtinctio *priorum* & *poſteriorum* Concilii Chalcedonenſis, non videtur ſatis fuiſſe nota Patribus Conſtantinopolitanis; cur enim, ſi nota fuit, eam non indi-

Nam Concilium contineri volebat ſex actionibus. *Act. 6. Synodi Chalcedon.*

Ac proindè Epiſtolam Ibæ quæ fuit approbata actione nonâ aut decimâ, nõ fuiſſe conciliariter approbatam.

A diſtinctione Pelagii duo ſunt quæ abſterrent. Primum. Quia non videtur Cõcilium fuiſſe finitum in ſextâ actione.

Alterum. Quia non videtur ea diſtinctio fuiſſe nota Patribus

Concilii quinti.

carunt, ad tollendum ſcandalum trium Capitulorum, & tranquillandos Occidentalium animos, quos violatæ Synodi Chalcedonenſis umbra ipſa turbaverat. Maneat ergo ſua integritas Concilio Chalcedonenſi: neque enim in eo ſtatu eſt, ut propter vitam famæ & authoritatis tuendam, malè ſani inſtar corporis mediâ ſui parte mutilari aut truncari debeat. Intra ſex quidem actiones priores abſolutum eſt negotium fidei, & quæ in iis ſcriptæ ſunt definitiones, ſpeciali approbatione donavit Leo magnus, irreformabiles eſſe volens, cæteris, quæ poſt ſextam actionem facta ſunt, Conciliarem authoritatem reliquit, generali quâdam & tacitâ approbatione contentus; excepto tamen Canone vigeſimo octavo de prærogativâ ſedium, cui Legati Romani apertè interceſſerant actione decimâ quintâ, ipſeque Leo magnus authoritate Apoſtolicâ expreſſè derogavit.

Stet ergo ſua integritas Concilio Chalcedonenſi.

*Excepto Can. 28. de ſedium prærogativa.*

Lupus Yprenſis in ſuis notis ſupra Canones Concilii quinti c. 5. aliam obiter indicat, nec ſatis pro rei merito explicat viam concordiæ primâ ſpecie paradoxam: ſic autem ferè habet. Eſto, approbata ſit Epiſtola Ibæ in Synodo Chalcedonenſi, & damnata eadem in Concilio Conſtantinopolitano, neutra tamen Synodus erravit; non Synodus approbans, quia Epiſtolam approbavit in ſenſu Catholico; non Synodus damnans, quia Epiſtolam in ſenſu Hæretico damnavit. Expectatis, credo, ut rem totam explicatione aliquâ illuſtrem. Obſervate igitur, Auditores, ut ſunt nonnullæ propoſitiones ſimplices, rotundæ, determinatæ, immutabiles, unicum habentes ſenſum, eumque conſtantem &

Lupus Yprenſis aliã viam concordiæ ſuggerit ſatis paradoxã; vult enim neutram erraſſe Synodum quamvis una Epiſtolam Ibæ approbarit, damnarit altera; quia una approbavit in

invariabilem ; ita eſſe propoſitiones quaſdam ambiguas, indeterminatas, ancipites, duplicem ſenſum habentes, eumque pro variis, loci, temporis, & perſonarum circumſtantiis variabilem : ejuſmodi autem propoſitiones, aliquandò & damnari poſſunt, & approbari. Approbari in uno ſenſu, & damnari in alio. Patebit res in exemplis. Legiſtis, nec fortè ſine ſtupore legiſtis, eaſdem aliquas propoſitiones, iiſdem omninò verbis expreſſas apud Auguſtinum & Janſenium; abſolvuntur in Auguſtino, & damnantur in Janſenio : nec mirùm, quia, quem ſenſum habent in Janſenio, in Auguſtino non habent. Audiſtis famoſam illam formulam Sirmienſem à Semi-Arianis compoſitam, in quâ aſſerebatur Filius *æqualis aut ſimilis Patri in ſubſtantiâ* ; ea formula Hæretica erat in ore Urſatii, aut Valentis, eademque in ore Hilarii, aut Liberii Catholica. Hæretica erat in ore Urſatii, aut Valentis, quia in ore Urſatii, aut Valentis ſignificabat Filium æqualem aut ſimilem Patri per diverſam ſubſtantiam, quod Hæreticum & Arianum eſt. Catholica erat in ore Liberii, aut Hilarii, quia in ore Hilarii, aut Liberii, ſignificabat Filium æqualem eſſe aut ſimilem Patri per eandem ſubſtantiam, quod eſt Catholicum. Scitis varios eventus vulgatæ illius propoſitionis, *unus de Trinitate crucifixus eſt,* Damnavit illam Hormiſdas Pontifex, Joannes quintus approbavit, quia ſcilicet una & eadem propoſitio Eutychiani & Catholici ſenſus capax, temporibus Hormiſdæ determinabatur in ſenſum Eutychianum, temporibus Joannis in Catholicum. Stet igitur unam eandemque propoſitionem æquivocam &

ſenſu Catholico, altera damnavit in ſenſu Hæretico,

Illuſtratur tota iſta res.

Poteſt quidem una propoſitio ambigua duplicem ſenſum habens approbari ab Eccleſiâ in uno ſenſu, ac deinde damnari in alio, id quod patet multis exemplis.

verbis ambiguis expreſſam, poſſe aliquandò approbari ab Eccleſiâ, in uno ſenſu, ac deindè damnari in alio. Atqui Epiſtola Ibæ, quatenùs dogmatica eſt, videtur fuiſſe æquivoca, & in varios ſenſus determinabilis, Catholicum & Neſtorianum. Nam vitium Epiſtolæ in eo præſertim erat, quòd Chriſtum appellaret *templum Dei Verbi, quaſi alius eſſet Deus Verbum, & alius homo*. Sed hoc totum verti poterat in ſenſum Catholicum. Nam *cui Catholico*, ajebat pulchrè Facundus Epiſtolæ defenſor, *cui Catholico diſplicere poſſit differentia naturalis inter templum, & inhabitantem in eo? cùm Dei Eccleſia ſic confiteatur Verbum carnem factum, ut non deneget quod ibi ſubjunctum eſt, & habitavit in nobis. Nam Verbum quidem caro factum eſt, quia ſempiternus Dei Filius, qui Verbum eſt Patris, ipſe in plenitudine temporum factus eſt homo; habitavit autem in nobis, quia nullam converſionem ſuſtinuit inconvertibilis ejus divinitas, ſed manens quod erat, naturam inhabitavit aſſumptam: & ideo, Verbum caro factum eſt, Neſtorianos expugnat, Eutychianos autem, & habitavit in nobis; quia, Verbum caro factum eſt, unam ſignificat eſſe perſonam; habitavit autem in nobis, duas inconfusè naturas. Non enim poſſunt duæ eſſe perſonæ, quandò is qui Verbum eſt, ipſe etiam factus eſt caro; aut duæ non eſſe naturæ, quandò aliud ſit quod inhabitat, & aliud quod inhabitatur*. Ita eleganter & Catholicè Facundus. Ergo, ut videtis, potuit Chriſtus in ſenſu Catholico appellari *templum Dei Verbi*, ac proindè potuit Epiſtola Ibæ eo ſenſu accepta Chalcedone approbari; ſed potuit eadem dam-

Et talis fuiſſe videtur Epiſtola Ibæ Neſtorianum ſenſum habens & ſimul Catholicum.

*Lib. 6. c. 4.*

Potuit ergo in ſenſu Catholico approbari

nari Conſtantinopoli, quia potuit accipi in ſenſu Neſtoriano, uti fortè tunc paſſim accipiebatur. Neſtorius enim & Neſtoriani abuti ſolebant illis Evangelii Verbis, *& habitavit in nobis,* Chriſtum ita appellantes *templum Dei Verbi,* ut Deum eſſe negarent.

Chalcedone, eademque in ſenſu Neſtoriano damnari Conſtantinopoli.

Suſpicor hîc, Auditores, alicui Yprenſi Janſenii populari, aut amico, non diſplicere concordiæ rationem jam explicatam; quòd ſpem aliquam faciat, Eccleſiam propoſitiones Janſenii, quas hodiè damnat, aliquandò approbaturam, eâdem rerum viciſſitudine, quâ Epiſtolam Ibæ antea in uno ſenſu approbatam, in alio poſtmodùm ſenſu damnavit. Sed quàm vana eſt ſpes iſta hominis? Propoſitiones enim Janſenii jam damnavit Eccleſia in ſenſu ipſo Janſenii, ſeu determinatas ad ſenſum naturalem, quem habent in libro Janſenii. Ergo non magis poteſt Eccleſia eas deinceps in ſenſu Janſenii approbare, quàm Epiſtolam Ibæ in ſenſu Neſtorii: quia, non minùs hæreticus eſt ſenſus Janſenii, quàm ſenſus Neſtorii. Mihi tamen quærenti, non quid eſſe poſſit, ſed quid reipſâ ſit, ſubtilis hæc ratio concordiæ non placet: ideò autem non placet; quia, ſi Concilium Chalcedonenſe Epiſtolam Ibæ aliquo ſenſu approbaſſet, diſtinxiſſent Patres Conſtantinopolitani ſenſum approbatum, ab eo ſenſu quem ipſi damnabant, ut eâ nimirùm diſtinctione, & Eutychianis oblatrantibus os obſtruerent, & Catholicis Occidentalibus ſatisfacerent, & Concilii Chalcedonènſis dignitati conſulerent. Senſum autem à ſenſu non diſtinxerunt. Ergo gratis fingitur Epiſtola Ibæ approbata fuiſſe Chal-

Ex quâ ratione concordiæ fit fortè ſpes aliqua Janſeniſtis futurum ſimiliter, ut quas hodie Janſenii propoſitiones Eccleſia damnat, aliquando approbet. Sed vana illa ſpes eſt, quia damnat Eccleſia propoſitiones Janſenii determinatas ad ipſum Janſenii ſensū. Subtilis hæc ratio concordiæ non placet. Quia Patres Conſtantinopolitani ſen-

ſum à ſenſu non diſtinxerunt.

cedone in uno ſenſu, & damnata Conſtantinopoli in altero.

Quid ergo tandem dicemus nos, ſi tam faſtidioſi ſumus, nihil ut hodie nobis placere poſſit? num permittemus erraſſe Concilium Chalcedonenſe, & Epiſtolam Ibæ eodem ſenſu approbaſſe, quo deinde damnata eſt? abſit; in judicio enim de Epiſtolâ Ibæ, non magis errare olim potuit Eccleſia, quàm errare nunc poſſit in judicio de libro Janſenii, utrumque enim judicium dogmaticum eſt. Quid ergo dicemus? abſolutè & rotundè negabimus Epiſtolam Ibæ fuiſſe ullo ſenſu approbatam Chalcedone, perplexum nodum non tam expedientes, quàm uno ictu præſcindentes. Ratio autem negandi eſt, tum authoritas Synodi Conſtantinopolitanæ, Epiſtolam damnantis; tum Vigilii Pontificis authoritas Synodum confirmantis. Nam Synodus quidem, & proteſtatur ſe in omnibus velle ſalvum honorem Concilii Chalcedonenſis, & in ipſo damnationis Capitulo eos anathematizat, qui impiam Epiſtolam nomine ſancti Concilii Chalcedonenſis defendunt. Vigilius verò Pontifex in ſuâ decretali confirmativâ quintæ Synodi, *abſit*, inquit, *ut tam horrendas blaſphemias Patres Chalcedonenſes approbarint.*

Dicendum ergo eſt Epiſtolam Ibæ nullo ſenſu fuiſſe approbatam Chalcedone.

Ita omninò ſuadet authoritas tum Synodi quintæ Epiſtolam damnantis Tum Vigilii Synodum confirmantis.

Facilis eſt, ut videtis, & expedita via concordiæ, ſed quam mihi ipſe præcluſiſſe videor: jam enim admiſi actione nonâ & decimâ Concilii Chalcedonenſis retractatam Ibæ cauſam, *& relectâ ejus Epiſtolâ Reverendiſſimum Ibam pronunciatum fuiſſe orthodoxum.* Admitto, Auditores, quod admiſi, dictorum memor ſum, agnoſco haberi in actis Synodi Chalcedonenſis

Quomodo reſponſio noſtra cum actis Concilii Chalcedonenſis cohæreat.

*Reverendiſſimum Ibam, relectâ ejus Epiſtolâ, acclamatum fuiſſe orthodoxum*: acta Synodi falſitatis non impugno, ut faciunt aliqui deſperatione rerum meliorum; acta pro veris habeo, & ſimul nego Epiſtolam Ibæ, de quâ agitur, fuiſſe in Synodo approbatam. Rem quæſo diligenter advertite. Ibas quidem pronunciatus eſt Orthodoxus, ſed Epiſtola ejus nuſquàm pronunciata eſt Orthodoxa. Hæc enim duo valdè differunt, nec ſe neceſſariò trahunt. Siquidem poteſt Orthodoxus eſſe author Epiſtolæ non Orthodoxæ.

Ibas quidem pronunciatus eſt Orthodoxus, ſed Epiſtola ejus nuſquam pronunciata eſt Orthodoxa.

At, inquies, relectâ Epiſtolâ judicatus eſt Ibas Orthodoxus; Ergo ipſa Epiſtola judicari debuit Orthodoxa. At, inquam ego, conſequens non rectè deduci ex Antecedente: Et videte quàm peccet conſequentia multipliciter. Fortè enim Epiſtola, quâ relectâ, acclamatus eſt Ibas Orthodoxus, non fuit Epiſtola ad Marim Perſam, ſed Epiſtola quædam deprecatoria ad Synodum, in quâ Ibas profeſſionem fidei ſuæ expreſſerat. Fortè negavit Ibas Epiſtolam eſſe ſuam, ut innuit Gregorius Magnus ad Monachum Secundinum. Fortè Epiſtolam interpretatus eſt, & interpretatione Patribus ſatisfecit. Fortè Epiſtolam retractavit cauſatus à ſe ſcriptam ante Concilium Epheſinum, cauſâ Neſtorii adhuc pendente, ita ut, *relectâ Epiſtolâ*, idem ſit quòd retractatâ. Fortè leviter & per interlocutiones, non Synodicè & collectis ſuffragiis judicata eſt à Patribus, tunc magis de præſenti ſenſu Ibæ, quàm de ſenſu Epiſtolæ ſollicitis. Quidquid ſit, iterùm atque iterùm nego abſolutè Epiſtolam Ibæ, quam dicitur ad Marim Perſam ſcripſiſſe, fuiſſe ullo ſenſu Synodicè & conciliariter appro-

Neque, quòd relectâ Epiſtolâ dicatur fuiſſe judicatus Orthodoxus, inde trahi poteſt Epiſtolam judicatam fuiſſe Orthodoxam. Quàm peccet multipliciter ea conſequentia.

batam; & Synodi Conſtantinopolitanæ verbis exclamo. *Quomodo præſumunt aliqui dicere iſtam impiam Epiſtolam ſuſceptam fuiſſe à ſancto Chalcedonenſi Concilio.* Nec tantùm exclamo, ſed pro Concilii Chalcedonenſis defenſione Argumentor primò. Non debet imponi approbatio Epiſtolæ Neſtorianæ Concilio Chalcedonenſi, niſi de approbatione certò conſtet; quia Concilium eſt in poſſeſſione innocentiæ & veritatis; à quâ poſſeſſione deturbari non debet per exceptiones tantùm incertas. Atqui de approbatione non certò conſtat, quin imò vix eſt aliqua ſpecies & umbra approbationis. Argumentor ſecundò. Concilium Oecumenicum in quæſtione dogmaticâ errare non poteſt, ut ſuppono ex demonſtratis olim contra novatores. Atqui Concilium Chalcedonenſe, quod verè Oecumenicum eſt, ſi Epiſtolam Ibæ Neſtorianam approbaſſet, erraſſet in quæſtione dogmaticâ: eſt enim quæſtio dogmatica, *an Epiſtola Ibæ Neſtoriana ſit*; Ergo certum eſt Concilium Chalcedonenſe Epiſtolam Ibæ Neſtorianam non approbaſſe.

Cur eam Epiſtolam Synodus Chalcedonenſis non damnaverit expreſſè.

Sed cur Epiſtolam non damnavit, potuit enim ſilentium Concilii videri tacita quædam Epiſtolæ approbatio. An quia Epiſtolam ſatis ipſe Ibas damnabat? an quia non contra Neſtorium, ſed contra Eutychem coacta Synodus erat? an quia jàm ſufficienter damnata reputabatur Epiſtola? Synodus enim Epheſina Neſtorianam hæreſim proſcribens damnaverat ſaltem implicitè, ſcripta omnia in quibus Neſtoriana hæreſis inveniretur. Suſpicor ego, Auditores, quo tempore producta eſt in Concilium Ibæ Epiſtola abſolutum

jam fuiſſe negotium fidei Patribus à ſancto Leone commendatum, ac proindè Epiſcopos, qui ad cauſas tantùm perſonales judicandas remanſerant, quæſtionibus perſonalibus, quæſtionem miſcere dogmaticam prudenter noluiſſe.

Sed ſi adeò certum eſt Epiſtolam Ibæ non fuiſſe approbatam Chalcedone, cur tamdiu hærebat Vigilius in damnatione Epiſtolæ, & approbatione Synodi quintæ Epiſtolam damnantis. Hærebat Vigilius, Concilii Chalcedonenſis non præjudicio, ſed exemplo: damnare nolebat Epiſtolam, quam Synodus Chalcedonenſis non damnaverat, Eccleſiam nihil egere putans definitionibus novis, & priores quatuor Synodos ad cauſam fidei ſatis eſſe. Verùm quia Vigilius præcipuum accuſationis pondus ſuſtinet in negotio trium Capitulorum nobis eo aliquatenùs levandus eſt. Erit hæc defenſionis noſtræ, pars ultima, defenſio ſcilicet Eccleſiæ in capite, ſeu Pontifice adunatæ.

Cur tamdiu hæſitavit Vigilius in damnatione Epiſtolæ.

Tertia pars Defenſio Eccleſiæ in capite adunatæ.

Vigilius quidem ante Pontificatum humani favoris auram captans, Theodoræ Auguſtæ, quæ clam favebat Eutychianis promiſerat, ſi quando Pontifex fieret, & reſtitutionem Anthimi à Sylverio depoſiti, & Concilii Chalcedonenſis retractationem. Sed ex quo factus eſt Pontifex, viſus eſt *de levi paleâ*, ut loquitur Bellarminus, *in ſolidiſſimam petram repentè commutatus*. Soliditatem tamen iſtam Petræ Hæretici non vident, & priorem paleæ levitatem, in Vigilio etiam Pontifice, inveniunt, ſingula hominis veſtigia notantes, & ad ſingula ſubſannantes. Ecce, inquiunt, tria Capitula, primùm defendit Vigilius; deindè judicato ſuo tria Ca-

Qualis fuerit Vigilius ante Pontificatum.

Qualis in Pontificatu.

In negotio trium Capi.

tulorum graviter & multipliciter accuſaſatur.

pitula damnavit; paulò poſt judicatum ipſe ſuum retractavit; tum Concilium Orientalium, quando fiebat, reprobavit; deniquè jam factum approbavit, inter Orientales & Occidentales perpetuò ſuſpenſus, modò in hanc, modo in illam partem levis inſtar paleæ ventilatus, fidem habens *temporum & locorum; magis quàm Evangeliorum*, quod Arianis Epiſcopis exprobrabat Hilarius.

*Contra Imper. Conſtant.*

Defenſus ab Illuſtriſſimo Domino de Marca in Hiſtoriâ trium Capitul. Cur à nobis defendatur.

Vigilium Pontificem defendit egregiè illuſtriſſimus Dominus de Marca, adeò ut auxilio noſtro nihil opus habeat, poſt tantum defenſorem. Nobis tamen magnus Pontifex abire non debet indefenſus; ſeu, ne manca ſit ex parte defenſio Eccleſiæ, quam inſtituimus; ſeu, quia pro accuſatorum numero creſcere oportet numerum defenſorum, *ut, ubi abundavit delictum, ſuperabundet & gratia*; ſeu deniquè, quia, ſi neceſſitatis non eſt iſta defenſio; erit tamen argumentum aliquod noſtræ in ſedem Apoſtolicam voluntatis: quantò enim impudentiùs exultant, & laſciviunt Hæretici, in diffamandis Romanis Pontificibus; tantò acriùs animari debet Catholicorum zelus in iiſdem defendendis. Sequemur Vigilium pedetentim; & ſingula ejus veſtigia reverenter, ut ita loquar, oſculabimur, demonſtrantes in ſingulis rectam illius fidem, cum Apoſtolico vigore, & vigili in omnem partem prudentiâ conjunctam.

*Ad Rom. c. 4.*

Accuſatur Vigilius. Primò. Quòd tria Capitula defenderit.

Defendit primò tria Capitula Vigilius, non diffiteor, ſed quàm rectè & laudabiliter, ipſa rei geſtæ ſeries ſatis oſtendit. Juſtinianus Imperator politicâ imperii adminiſtratione non contentus, ordinandæ etiam religioni ſtudebat, rebus

rebus Eccleſiaſticis plùs æquo ſe immiſcens, & interdùm ſapiens, plus quàm oporteat ſapere laïcum principem. Scribenti aliquandò contra Acephalos, pro defenſione Concilii Chalcedonenſis, fortè adfuit, qui frequens aderat, verſutus ille fautor Origenis Theodorus Cæſareæ in Cappadociâ Epiſcopus, ſubmiſſus, ut creditur, à Theodorâ Auguſtâ clam Eutychianâ, ſuggeſſitque Imperatori malitiosè magis, quàm officiosè, fruſtra ſuſcipi à principe hunc ſcribendi laborem, cùm facili compendio Eutychianos omnes poſſet ad ſuam communionem adducere, ſolâ ſcilicet damnatione, trium Capitulorum, quibus unicè tenebantur Eutychiani, ne Synodum Chalcedonenſem admitterent, credentes tria Gapitula fuiſſe approbata Chalcedone. Ad hæc rogavit Juſtinianum Theodorus, ut librum ipſemet ſcriberet in damnationem trium Capitulorum, quò ſcilicet, inquit, Liberatus, *libro ejus edito, & toti mundo manifeſto, dum emendare Princeps erubeſcit, irrevocabilis cauſa fieret.* Annuit Princeps dolum non videns, & priore operis ſui ſtudio relicto, *Unum*, inquit idem Liberatus, *in damnationem trium Capitulorum condidit librum, pro delictis noſtris, nobis omnibus notiſſimum*; ſimul edicens, ut Epiſcopi omnes libro ſubſcriberent, & Vigilium rogans, ut tria Capitula, authoritate Apoſtolicâ, ipſe pro ſuâ parte damnaret. Renuit Vigilius, trium Capitulorum defenſionem ſuſcipiens, edictum Juſtiniani reprobans, & Epiſcopos Orientales, qui libro ſubſcripſerant à communione ſuſpendens. Quid quæſo in hoc Vigilii facto reprehenſibile eſt? An quod tria capitula defendit? atqui ea

Rei geſtæ ſeries ex Liberato Diacono Carthaginenſi.

*Cap.* 24.

Damnat Juſtinianus Imperator tria Capitula edicto ſuo.

Edicto Imperatoris ſubſcribunt Epiſcopi Orientales.

Tria Capitula defendit Vigilius.

Quàm rectè & laudabiliter defenderit.

defendit, non materialiter & abſolutè ſumpta, ſed reſpectivè ad Concilium Chalcedonenſe, damnari nolens, quæ Concilium Chalcedonenſe non damnaſſet; aut ſi fortè materialiter & abſolutè ſumpta defendit, non ut Pontifex defendit, nihil enim pro tribus Capitulis definiit, ſed ut perſona privata; & privato illo errore, ſi quis tamen fuit, animata eſt perſona publica Pontificis ad defenſionem Concilii Chalcedonenſis acriùs ſuſcipiendam. An quòd Juſtiniani edictum reprobavit? atqui peccabat edictum multipliciter, & quoad ſubſtantiam, & quoad modum. Tum quia famam & authoritatem Concilii Chalcedonenſis, totiuſque Chriſtianæ reipublicæ pacem magno periculo exponebat, quæſtionem imprudenter movens non neceſſariam. Tum quia in eo Doctorem Eccleſiæ agebat Imperator, qui Doctor Eccleſiæ non erat, præjudicans de religione ante Sacerdotes, cujus erat ſententiam Sacerdotum expectare, & Pontificem rogans ut approbaret factum, quem prius conſulere debuerat, an eſſet faciendum. An deniquè quòd Epiſcopos Orientales, à communione ſuſpendit? atqui pœnam ſuſpenſionis merebantur adulatores, & nimiùm molles Epiſcopi; meritòque experti ſunt, quod ait Facundus, *quia Romanus Epiſcopus, non in deſtructionem paternæ ſententiæ, ſed potiùs in defenſionem atque ultionem, accepit primam & maximam poteſtatem, nec aliquid contra veritatem, ſed pro veritate, plùs cæteris conſacerdotibus poteſt.*

Juſtiniani edictum reprobavit. Quàm meritò reprobarit.

Epiſcopos Orientales communione ſuſpendit. Quàm legitimè ſuſpenderit. *Lib.* 2. *c.* 6.

Accuſatur Vigilius. Secundò. Quod tria

Benè eſt, inquiunt Hæretici, rectè defenderit tria Capitula Vigilius, ſed ſi tam rectè tria Capitula defendit, quomodo rectè tria Capitula

damnavit, Juſtiniano & Orientalibus Epiſcopis conſentiens. J nunc, ſequere, ajunt, & mirare Pontificem tuum tam turpiter prævaricantem. Sequemur, Auditores, & quem tria Capitula rectè defendentem mirati ſumus, eumdem mirabimur tria Capitula rectè damnantem. Rogatus ab Imperatore Vigilius, ut Conſtantinopolim veniret, coram & per ſe cogniturus præſentem Orientalis Eccleſiæ ſtatum, Conſtantinopolim venit, eo quo Pontificem decebat honore exceptus. De tribus Capitulis Juſtinianum audit, & Epiſcopos Orientales: ac tandem comperit, quod res erat; tria Capitula ſecundùm ſe damnabilia eſſe; non fuiſſe approbata Chalcedone; diffamari tamen Concilium Chalcedonenſe, quaſi approbaſſet: ſi damnarentur à Catholicis Concilii Chalcedonenſis defenſoribus notoriis, & reſtitutum iri Concilio famam ſuam apud eos, apud quos eo nomine malè audiret, & ſpem fore aliquam, ut Eutychiani omnes ad communionem Eccleſiæ ultrò redirent. Quòd ſi redire ultrò nollent, omni ſemoto prætextu, ab Imperatore compulſum iri ad redeundum. Quibus auditis judicatum edidit Vigilius, ſeu conſtitutum, quo tria Capitula proviſoriè damnabat, definitionem cauſæ ultimam remittens ad Concilium plenarium ex Occidentalibus & Orientalibus pari numero cogendum. Atqui judicatum iſtud, ſeu conſtitutum, non levitatis alicujus, aut mundani timoris, ſed exquiſitiſſimæ prudentiæ opus fuit. Primò enim ita ſignificabat orbi Chriſtiano, non Imperatoris eſſe, ſed Pontificis res Eccleſiæ tractare, & cauſam trium Capitulorum, ab alieno ſeu imperatorio foro, ad proprium &

Capitula damnarit quæ antè defenderat.

Vigilii advectus Conſtantinopolim.

Negotium trium Capitulorum coram introſpicit.

Tria Capitula damnat proviſoriè judicato ſeu conſtituto ſuo.

Judicatum ſeu conſtitutum Vigilii non levitatis aut mun-

dani timoris, ſed exquiſitiſſimę prudentiæ opus fuit.

Eccleſiaſticum mirâ dexteritate transferebat. Secundò. Eâdem operâ mitigabat Imperatorem & Orientales, damnatione ſcilicet proviſoriâ trium Capitulorum, ita enim aliquo modo ſequebatur, quod ipſi præjudicaverant. Tertiò demùm Occidentalibus ſatisfaciebat, ultimam cauſæ definitionem relinquens generali Concilio, cujus pars magna ipſi futuri erant. Potuit, fateor, Vigilius cum Imperatore & Orientalibus Epiſcopis ſeveriùs agere ſecundùm rigorem Canonum, *Et litteram occidentem*, ſed planè non debuit *ſecundùm Spiritum vivificantem*; quia ſapientis & ſancti Pontificis eſt, non omnia ſummo jure agere, & ex rigore Canonum, ſed interdùm remiſsè & diſpenſatoriè, præſertim cum viris principibus; regulam ipſam, ſi fieri poteſt, inflectere, ne ſi nimirùm rigeat, fortè frangatur; eſt enim ſæcularis poteſtas facilè irritabilis, nec facilè placatur ſemel irritata.

Accuſatur Vigilius Tertiò. Quòd ſuũ ipſe judicatum retractarit.

Progrediamur ulteriùs cum Pontifice noſtro, aut potiùs regrediamur; regreditur enim fortè ipſe, nec ſine Hæreticorum ſibilis, ſuum ipſe judicatum retractans, in quo magna quædam levitatis & inconſtantiæ ſpecies eſt. Quod enim rectè judicatum eſt, retractari non debet. Retractationis tamen cauſam modumque accipite, & plaudetis etiam retractanti. Poſtulaverat primùm Vigilius, ut Concilium generale de tribus Capitulis in Italiâ fieret; quod cùm non placuiſſet Imperatori obſtinatè volenti Conſtantinopoli fieri, inſtitit iterùm Pontifex, ut ſi Conſtantinopoli Concilium fieret, æquaretur ſaltem in Concilio numerus Orientalium & Occidentalium, ne cauſam querendi habe-

Cauſa retractandi & modus. Conventio de æquando numero Occidentalium &

rent Occidentales, *quorum fuerat ſcandalizata fraternitas.* Æquam illam conditionem acceptanti Juſtiniano dedit Pontifex nomina Epiſcoporum, qui ex univerſo Occidente vocandi erant. Cùm autem moras traherent vocati Occidentales, impatiens morarum Juſtinianus Concilium accelerari voluit, nec ampliùs Occidentales expectari. Id quod Vigilio ſignificat rogans, ut Concilio intereſſe & præſidere dignaretur. Excuſat Vigilius, non veniſſe ſcilicet Occidentales; æquandum tamen ex conventione numerum Occidentalium cum Orientalibus; poſtulare ſe adhuc inducias viginti dierum, intra quas, aut Occidentales venirent, aut ſi non venirent, ipſe definitivam ſententiam meditaretur. Inducias omninò negat Juſtinianus, & Pontifici conſenſum neganti, minas, vimque adhibet Chriſtiano Imperatore indignam, Chriſtum Domini Vigilium de cornu altaris, quò velut ad aſylum confugerat, per impios ſatellites non ſine plagis carcere concludens. Sed nec minis, nec plagis Vigilius inflexus eſt; pati paratus extrema quæque potiùs quàm prævaricari. Miratus conſtantiam viri Juſtinianus, & in ſe rediens pro ſatisfactione injuriarum præcipuos Orientis Patriarchas ad Vigilium mittit rogans iterùm, ut in Concilium veniret, aut alicui vices ſuas legaret; alioquin Concilium ipſo abſente & invito celebratum iri; neque propterea illegitimum fore, ab ipſo nimirùm Pontifice jam fuiſſe indictum, vocatos & expectatos diu Occidentales, haberi ipſius Vigilii judicatum de tribus Capitulis, & Vigilium, ſi minùs per ſe aut per Legatos ſuos, ſaltem per Vicarias litteras

Orientalium.

Tarditas Occidentalium.

Impatientia Juſtiniani.

Conſtantia Vigilii.

Præcipitatio Concilii.

Concilio præfuturum, ſed nihil his commotus Pontifex, ne fortè Orientales judicato ſuo abuterentur, ſuum ipſe judicatum retractavit, revocans priorem Concilii indictionem, & damnationem trium Capitulorum, pro nullâ & irritâ haberi volens. In quâ retractatione obſervate, amabo, quàm nihil ſit, quod reprehenſionem mereatur. Duo erant in judicato Vigilii, damnatio proviſoria trium Capitulorum, & indictio Concilii generalis ad cauſam definiendam. Retractavit Vigilius damnationem trium Capitulorum, non ſententiam mutando, ſed declarando ſententiam ſuam proviſoriam eſſe, non definitivam, velleque ſe, ut in judicio contentioſo pro nullâ haberetur. Retractavit autem indictionem Concilii, non tam revocans conſenſum ſuum, quàm declarans nullum eſſe; quippe qui penderet à conditione non impletâ, ab æquando ſcilicet numero Orientalium & Occidentalium, qui non fuerat æquatus. Ita autem ſe gerere debuit magnus Pontifex, tum ut Orientales Concilium præcipitantes moraretur; tum ut Occidentalibus probaret ſe non prævaricari, ſed communem cauſam & jura Eccleſiæ Occidentalis Apoſtolico vigore defendere. Pergamus adhærere Vigilio noſtro; & ſinamus Orientales Juſtiniano cogente celebrare Concilium ſuum, ac tria Capitula ex prælectis Vigilii litteris, ipſiuſque judicato damnare.

*Judicatum Vigilius quo ſenſu retractaverit. Revocavit nimirùm priorem indictionem Concilii; & quidem meritò, damnationem verò trium Capitulorum à ſe proviſoriè factã pro nullâ & irritâ haberi voluit. Idque ſine mutatione ſententiæ circa tria Capitula.*

Ecce iterùm Vigilius convenitur, ut Concilium Orientalium approbet, & pro legitimo habeat. Reprobat autem ille, & pro illegitimo habet: nec mirum, quia omni ex parte illegitimum eſt. Caret enim primò legitimâ indictione Pontificis; nam, vel celebratur Concilium vi indictionis an-

*Accuſatur Vigilius. Quartò. Quod Concilium Orientalium reprobarit.*

tiquæ, vel vi indictionis novæ, non vi indictionis novæ, quam Pontifex expreſsè & conſtanter negavit; non vi indictionis antiquæ, quæ nulla eſt. Indixit quidem Vigilius Concilium generale, in quo numerus Orientalium & Occidentalium æquaretur. Sed Concilium iſtud Orientalium non eſt hujuſmodi. Conſenſit Vigilius, ut Concilium fieret, ſed eâ tantum lege & conditione, ut pari numero Occidentales adeſſent. Conſenſus à conditione ſuſpenſus eſt, conditio poſita non eſt, ergo conſenſus habendus eſt pro nullo. Caret ſecundò Legitimâ præſidentiâ; Pontifex enim nec ipſe adeſt, nec ſuas alicui vices legavit. Nam, quòd ajunt, Vigilii judicatum eſſe loco ipſius Vigilii, puerile eſt; judicatum enim nec perſonam ſuſtinet Pontificis, & ſi fortè ſuſtineret, retractatum fuit. Ergo revocata Legatio, & Legati authoritas. Caret tertiò legitimo Epiſcoporum conventu: deberent enim Concilio intereſſe Occidentales, qui non interſunt. Ad priora quidem Concilia, nihil opus fuit venire Occidentales tam multos; quia cauſa, quæ tractanda erat, inter ſolos Orientales ferè vertebatur. Ac proindè per ipſos ſolos poterat terminari, ſine cujuſquam præjudicio. At verò cauſa trium Capitulorum inter Orientales & Occidentales vertitur. Ergo à ſolis Orientalibus non poteſt legitimè judicari, quia ſoli non poſſunt eſſe judices in ſuâ cauſâ, cum præiudicio Occidentalium. Caret quartò legitimâ libertate ſuffragiorum; quæ enim libertas eſſe poſſit in eâ urbe, ubi Pontifex ipſe liber non eſt. Ergo legitimum non eſt Concilium Orientalium, ac meritò proindè reprobatum à Vigilio.

Sed meritò reprobavit; erat enim omni ex parte illegitimum, ſeu defectu legitimæ indictionis.

Seu defectu legitimæ præſidentiæ.

Seu defectu legitimi Epiſcoporum conventûs.

Seu defectu legitimi proceſſûs.

Accuſatur deniquè Vigilius quòd Concilium antea reprobatum deindè approbarit

Sed ſi Concilium Orientalium meritò reprobavit Vigilius ut illegitimum, cur aliquantò poſt ut legitimum approbavit? Extat enim Vigilii Decretalis Epiſtola confirmativa Synodi quintæ: quam Epiſtolam Archiepiſcopus noſter nunquàm ſatis laudatus è Græco tranſtulit in Latinum. Hallucinantur hîc Hæretici, & nonnulli fortè Catholici. Non approbavit Vigilius Concilium Orientalium ut legitimum, ſed tria Capitula, quæ à Concilio damnata fuerant, ipſe quoque authoritate Apoſtolicâ damnavit, habens pro Fratribus & Conſacerdotibus damnatores trium Capitulorum, & nullam Concilii mentionem faciens. Non nego tamen, quin ea Vigilii Epiſtola ſit moralis quædam confirmatio Concilii, non quòd Concilium declaret fuiſſe legitimum, ſed quòd Sententiam Concilii de tribus Capitulis veram eſſe definiat. Prudentiſſimè autem Vigilius rem totam ita definit, ne Orientales jam ſatis, & judicati retractatione & Concilii reprobatione exaſperatos omninò alienaret. Aliundè ſperans perſuaſurumſe Occidentalibus, potuiſſe citra injuriam Synodi Chalcedonenſis tria capitula damnari, eorumque damnationem, quæ ſecundùm ſe & independenter à circumſtantiis prætermitti poterat ac debebat, in præſentibus circumſtantiis, fuiſſe omninò neceſſariam. Quod reipſâ perſuaſit exceptis Schiſmaticis aliquot, quibus fortè, ſi ea data & explanata fuiſſent, quæ jam diximus, ne ipſi quidem tamdiu in ſuo Schiſmate perſtitiſſent. Minùs enim voluntate, quàm rerum ignoratione peccabant. Sed Eccleſiam, non Schiſmaticos defendere habeo, & jam pro cauſæ

Sed Concilium Orientaliũ non approbavit Vigilius ut legitimum, damnavit ipſe dumtaxat tria Capitula Apoſtolicâ authoritate.

Vigilii tamen Epiſtola haberi poteſt pro morali confirmatione Concilii.

Cur totum negotium Vigilius ita finierit.

momento ac gravitate, breviter, pro tenuitate noſtrâ tædioque veſtro prolixè nimis defendi. Concludamus, atque ut diſſertationis noſtræ fructus aliquis maneat.

Diſſertationis fructus quis eſſe debeat.

Ex totius negotii conſideratione: Diſcant principes non fidere Hæreticis.

Diſcant principes ſeu Eccleſiaſtici, ſeu politici ex totius conſideratione negotii, quàm parùm fidendum ſit Hæreticis, qui tum maximè alieni ſunt ab Eccleſiâ, cùm reditum ad Eccleſiam mentiuntur, crudelia bella meditantes, cùm pacem ſimulant, *Non eſt pax impiis* dicit Dominus, dicunt *pax & non erat pax.* Si damnarentur tria Capitula, promiſerant Eutychiani ſe ad Eccleſiam redituros, tria Capitula damnata ſunt, commotus eſt univerſus orbis, Eutychiani non redierunt.

Diſcant ſapere inquieti novatores.

Diſcant inquieti novatores, diſcant ſapere, nam qui ventos ſeminant, turbinem metent. Diſcant ex Theodoro Cappadoce authore illo damnationis trium Capitulorum & perturbatore Eccleſiæ, quàm verum ſit illud Chriſti effatum. *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala, væ autem homini illi per quem ſcandalum venit.* Nam impius ille moriens deſperantis in morem exclamabat, ut refert Liberatus, *ſe vivum incendendum per quem tale ac tantum ſcandalum introiiſſet in mundum.* Felix! ſi incenderetur tantùm vivus, & non arderet, etiam mortuus.

Diſcant fideles non adeò turbari Eccleſiæ tempeſtatibus.

Diſcant fideles ex magnâ illâ trium Capitulorum tempeſtate non adeò turbari, ſi quæ ſunt, præſentibus Eccleſiæ tempeſtatibus. Concutitur Eccleſia ædificata ſupra Petram, ſed non evertitur. Navicula Petri operitur fluctibus, ſed non obruitur. Dormit aliquandò Dominus, ſed ſuorum precibus tandem excitatus, imperat

ventis & mari, fitque tranquillitas magna.

Diſcant Theologi noſtri Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſociare Theologiæ.

Diſcant Theologi noſtri ex ſpecie horridâ deciſæ à me Quæſtionis, quàm neceſſe ſit Theologo, in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ non leviter, ſed profundè verſari; veritas enim plerumquè non in ſuperficie, ſed in fundo eſt. Diſcant iidem quàm neceſſe ſit Lectorem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Theologum eſſe; eſt enim Hiſtoria Eccleſiaſtica mare magnum & ſpatioſum, in quo quiſquis diu navigare audet ſine ductu Theologiæ Scholaſticæ certiſſimè naufragabitur. Erubeſcant verò Hæretici noſtri, aut ignorantiam ſuam, aut malam fidem, nec deinceps nobis de tribus Capitulis negotium faciant, in quo nihil habent, quod ipſis favere poſſit, præter obſcuritatem cauſæ.

Sibi gratulentur Catholici omnes de pace Eccleſiæ redditâ, & finitâ trium Capitulorum controverſiâ.

Gratulemur nobis Catholici omnes, quòd in gravi iſtâ & longâ Eccleſiæ pugnâ, cùm inter pugnantium clamores, immenſamque excitati pulveris nubem, & dux fugiens, & conciſæ acies, & vexilla erepta, perditaque omnia putarentur, nunc tandem ſedatis clamoribus, reſidenteque pulveris nube, & conſtans Vigilii Pontificis prudentia, & inviolata Conciliorum authoritas, & ſalva infallibilitas Eccleſiæ, ſalva deniquè omnia & integra feliciter appareant. *Gratias Deo*, inquit Apoſtolus, *qui dedit nobis victoriam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum* Controverſiam trium Capitulorum finiit ille, qui fuerat occaſio controverſiæ, & qui nobis hoc anno Theologicarum diſputationum nobiliſſima materia futurus eſt, Verbum Incarnatum Jeſus Chriſtus Dominus noſter, nobis, ut ſpero, prò ſe diſputantibus nunquam deerit.

# )E HONORIO PONTIFICE

## In cauſa Monothelitarum.

### DISSERTATIO THEOLOGICA.

Habita coram illuſtriſſimis Epiſcopis.

*Vnius vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum à fidei prædicatione eximatur.* Honorius in reſcr. ad Sergium.

Debet Theologus magnos viros vendicare à calumniâ hæreſis.

HONORIUS Monothelita non fuit, Eccleſiæ Principes illuſtriſſimi : hoc mihi erit hodiernæ apud vos Diſſertationis argumentum,& Theologicarum diſputationum illuſtre præludium. Nec videbitur, credo, alienum à viro Theologo, magnos viros ac probè Catholicos vindicare ab infamiâ Hæreſis, ſi quàm fortè nullo ſuo merito incurrerunt. Primùm enim ſic præſtatur illorum memoriæ pium quoddam juſtumque defenſionis officium, quia calumnia Hæreſis, calumnia graviſſima eſt : *Culpa enim in fide*, inquit Pelagius ſecundus, *nec morte interveniente laxatur*. Deindè verò defenditur fides, cùm ab Hæreticis, ut ab

Tum ipſorum cauſâ quorum memoriæ præſtatur pium quoddam juſtũ-

Quàm recté & laudabiliter defenderit.

defendit, non materialiter & abſolutè ſumpta; ſed reſpectivè ad Concilium Chalcedonenſe, damnari nolens, quæ Concilium Chalcedonenſe non damnaſſet; aut ſi fortè materialiter & abſolutè ſumpta defendit, non ut Pontifex defendit, nihil enim pro tribus Capitulis definiit, ſed ut perſona privata; & privato illo errore, ſi quis tamen fuit, animata eſt perſona publica Pontificis ad defenſionem Concilii Chalcedonenſis acriùs ſuſcipiendam. An quòd Juſtiniani edictum reprobavit? atqui peccabat edictum multipliciter, & quoad ſubſtantiam, & quoad modum. Tum quia famam & authoritatem Concilii Chalcedonenſis, totiuſque Chriſtianæ reipublicæ pacem magno periculo exponebat, quæſtionem imprudenter movens non neceſſariam. Tum quia in eo Doctorem Eccleſiæ agebat Imperator, qui Doctor Eccleſiæ non erat, præjudicans de religione ante Sacerdotes, cujus erat ſententiam Sacerdotum expectare, & Pontificem rogans ut approbaret factum, quem prius conſulere debuerat, an eſſet faciendum. An deniquè quòd Epiſcopos Orientales, à communione ſuſpendit? atqui pœnam ſuſpenſionis merebantur adulatores, & nimiùm molles Epiſcopi; meritòque experti ſunt, quod ait Facundus, *quia Romanus Epiſcopus, non in deſtructionem paternæ ſententiæ, ſed potiùs in defenſionem atque ultionem, accepit primam & maximam poteſtatem, nec aliquid contra veritatem, ſed pro veritate, plùs cæteris conſacerdotibus poteſt.*

Juſtiniani edictum reprobavit.

Quàm meritò reprobarit.

Epiſcopos Orientales communione ſuſpendit.

Quàm legitimè ſuſpenderit.

*Lib.* 2. *c.* 6.

Accuſatur Vigilius. Secundò. Quod tria

Benè eſt, inquiunt Hæretici, rectè defenderit tria Capitula Vigilius, ſed ſi tam rectè tria Capitula defendit, quomodo rectè tria Capitula

damnavit, Juſtiniano & Orientalibus Epiſcopis conſentiens. J nunc, ſequere, ajunt, & mirare Pontificem tuum tam turpiter prævaricantem. Sequemur, Auditores, & quem tria Capitula rectè defendentem mirati ſumus, eumdem mirabimur tria Capitula rectè damnantem. Rogatus ab Imperatore Vigilius, ut Conſtantinopolim veniret, coram & per ſe cogniturus præſentem Orientalis Eccleſiæ ſtatum, Conſtantinopolim venit, eo quo Pontificem decebat honore exceptus. De tribus Capitulis Juſtinianum audit, & Epiſcopos Orientales: ac tandem comperit, quod res erat; tria Capitula ſecundùm ſe damnabilia eſſe; non fuiſſe approbata Chalcedone; diffamari tamen Concilium Chalcedonenſe, quaſi approbaſſet: ſi damnarentur à Catholicis Concilii Chalcedonenſis defenſoribus notoriis, & reſtitutum iri Concilio famam ſuam apud eos, apud quos eo nomine malè audiret, & ſpem fore aliquam, ut Eutychiani omnes ad communionem Eccleſiæ ultrò redirent. Quòd ſi redire ultrò nollent, omni ſemoto prætextu, ab Imperatore compulſum iri ad redeundum. Quibus auditis judicatum edidit Vigilius, ſeu conſtitutum, quo tria Capitula proviſoriè damnabat, definitionem cauſæ ultimam remittens ad Concilium plenarium ex Occidentalibus & Orientalibus pari numero cogendum. Atqui judicatum iſtud, ſeu conſtitutum, non levitatis alicujus, aut mundani timoris, ſed exquiſitiſſimæ prudentiæ opus fuit. Primò enim ita ſignificabat orbi Chriſtiano, non Imperatoris eſſe, ſed Pontificis res Eccleſiæ tractare, & cauſam trium Capitulorum, ab alieno ſeu imperatorio foro, ad proprium &

Capitula damnarit quæ antè defenderat.

Vigilii advectus Conſtantinopolim.

Negotium trium Capitulorum coram introſpicit.

Tria Capitula damnat proviſoriè judicato ſeu conſtituto ſuo.

Judicatum ſeu conſtitutum Vigilii non levitatis aut mun-

dani timoris, ſed exquiſitiſſimę prudentiæ opus fuit.

Eccleſiaſticum mirâ dexteritate transferebat. Secundò. Eâdem operâ mitigabat Imperatorem & Orientales, damnatione ſcilicet proviſoriâ trium Capitulorum, ita enim aliquo modo ſequebatur, quod ipſi præjudicaverant. Tertiò demùm Occidentalibus ſatisfaciebat, ultimam cauſæ definitionem relinquens generali Concilio, cujus pars magna ipſi futuri erant. Potuit, fateor, Vigilius cum Imperatore & Orientalibus Epiſcopis ſeveriùs agere ſecundùm rigorem Canonum, *Et litteram occidentem*, ſed planè non debuit *ſecundùm Spiritum vivificantem*; quia ſapientis & ſancti Pontificis eſt, non omnia ſummo jure agere, & ex rigore Canonum, ſed interdùm remiſsè & diſpenſatoriè, præſertim cum viris principibus; regulam ipſam, ſi fieri poteſt, inflectere, ne ſi nimirùm rigeat, fortè frangatur; eſt enim ſæcularis poteſtas facilè irritabilis, nec facilè placatur ſemel irritata.

Accuſatur Vigilius Tertiò. Quòd ſuū ipſe judicatum retractarit.

Progrediamur ulteriùs cum Pontifice noſtro, aut potiùs regrediamur; regreditur enim fortè ipſe, nec ſine Hæreticorum ſibilis, ſuum ipſe judicatum retractans, in quo magna quædam levitatis & inconſtantiæ ſpecies eſt. Quod enim rectè judicatum eſt, retractari non debet. Retractationis tamen cauſam modumque accipite, & plaudetis etiam retractanti. Poſtulaverat primùm Vigilius, ut Concilium generale de tribus Capitulis in Italiâ fieret; quod cùm non placuiſſet Imperatori obſtinatè volenti Conſtantinopoli fieri, inſtitit iterùm Pontifex, ut ſi Conſtantinopoli Concilium fieret, æquaretur ſaltem in Concilio numerus Orientalium & Occidentalium, ne cauſam querendi habe-

Cauſa retractandi & modus.

Conventio de æquando numero Occidentalium &

rent Occidentales, *quorum fuerat ſcandalizata fraternitas.* Æquam illam conditionem acceptanti Juſtiniano dedit Pontifex nomina Epiſcoporum, qui ex univerſo Occidente vocandi erant. Cùm autem moras traherent vocati Occidentales, impatiens morarum Juſtinianus Concilium accelerari voluit, nec ampliùs Occidentales expectari. Id quod Vigilio ſignificat rogans, ut Concilio intereſſe & præſidere dignaretur. Excuſat Vigilius, non veniſſe ſcilicet Occidentales; æquandum tamen ex conventione numerum Occidentalium cum Orientalibus; poſtulare ſe adhuc inducias viginti dierum, intra quas, aut Occidentales venirent, aut ſi non venirent, ipſe definitivam ſententiam meditaretur. Inducias omninò negat Juſtinianus, & Pontifici conſenſum neganti, minas, vimque adhibet Chriſtiano Imperatore indignam, Chriſtum Domini Vigilium de cornu altaris, quò velut ad aſylum confugerat, per impios ſatellites non ſine plagis carcere concludens. Sed nec minis, nec plagis Vigilius inflexus eſt; pati paratus extrema quæque potiùs quàm prævaricari. Miratus conſtantiam viri Juſtinianus, & in ſe rediens pro ſatisfactione injuriarum præcipuos Orientis Patriarchas ad Vigilium mittit rogans iterùm, ut in Concilium veniret, aut alicui vices ſuas legaret; alioquin Concilium ipſo abſente & invito celebratum iri; neque propterea illegitimum fore, ab ipſo nimirùm Pontifice jam fuiſſe indictum, vocatos & expectatos diu Occidentales, haberi ipſius Vigilii judicatum de tribus Capitulis, & Vigilium, ſi minùs per ſe aut per Legatos ſuos, ſaltem per Vicarias litteras

Orientalium.

Tarditas Occidentalium.

Impatientia Juſtiniani.

Conſtantia Vigilii.

Præcipitatio Concilii.

Concilio præfuturum, ſed nihil his commotus Pontifex, ne fortè Orientales judicato ſuo abuterentur, ſuum ipſe judicatum retractavit, revocans priorem Concilii indictionem, & damnationem trium Capitulorum, pro nullâ & irritâ haberi volens. In quâ retractatione obſervate, amabo, quàm nihil ſit, quod reprehenſionem mereatur. Duo erant in judicato Vigilii, damnatio proviſoria trium Capitulorum, & indictio Concilii generalis ad cauſam definiendam. Retractavit Vigilius damnationem trium Capitulorum, non ſententiam mutando, ſed declarando ſententiam ſuam proviſoriam eſſe, non definitivam, velleque ſe, ut in judicio contentioſo pro nullâ haberetur. Retractavit autem indictionem Concilii, non tam revocans conſenſum ſuum, quàm declarans nullum eſſe; quippe qui penderet à conditione non impletâ, ab æquando ſcilicet numero Orientalium & Occidentalium, qui non fuerat æquatus. Ita autem ſe gerere debuit magnus Pontifex, tum ut Orientales Concilium præcipitantes moraretur; tum ut Occidentalibus probaret ſe non prævaricari, ſed communem cauſam & jura Eccleſiæ Occidentalis Apoſtolico vigore defendere. Pergamus adhærere Vigilio noſtro; & ſinamus Orientales Juſtiniano cogente celebrare Concilium ſuum, ac tria Capitula ex prælectis Vigilii litteris, ipſiuſque judicato damnare.

Judicatum Vigilius quo ſenſu retractaverit. Revocavit nimirùm priorem indictionem Concilii; & quidem meritò, damnationem verò trium Capitulorum à ſe proviſoriè factâ pro nullâ & irritâ haberi voluit. Idque ſine mutatione ſententiæ circa tria Capitula.

Ecce iterùm Vigilius convenitur, ut Concilium Orientalium approbet, & pro legitimo habeat. Reprobat autem ille, & pro illegitimo habet; nec mirum, quia omni ex parte illegitimum eſt. Caret enim primò legitimâ indictione Pontificis; nam, vel celebratur Concilium vi indictionis an-

Accuſatur Vigilius. Quartò. Quod Concilium Orientalium reprobarit.

tiquæ, vel vi indictionis novæ, non vi indictionis novæ, quam Pontifex expreſsè & conſtanter negavit; non vi indictionis antiquæ, quæ nulla eſt. Indixit quidem Vigilius Concilium generale, in quo numerus Orientalium & Occidentalium æquaretur. Sed Concilium iſtud Orientalium non eſt hujuſmodi. Conſenſit Vigilius, ut Concilium fieret, ſed eâ tantum lege & conditione, ut pari numero Occidentales adeſſent. Conſenſus à conditione ſuſpenſus eſt, conditio poſita non eſt, ergo conſenſus habendus eſt pro nullo. Caret ſecundò Legitimâ præſidentiâ; Pontifex enim nec ipſe adeſt, nec ſuas alicui vices legavit. Nam, quòd ajunt, Vigilii judicatum eſſe loco ipſius Vigilii, puerile eſt; judicatum enim nec perſonam ſuſtinet Pontificis, & ſi fortè ſuſtineret, retractatum fuit. Ergo revocata Legatio, & Legati authoritas. Caret tertiò legitimo Epiſcoporum conventu: deberent enim Concilio intereſſe Occidentales, qui non interſunt. Ad priora quidem Concilia, nihil opus fuit venire Occidentales tam multos; quia cauſa, quæ tractanda erat, inter ſolos Orientales ferè vertebatur. Ac proindè per ipſos ſolos poterat terminari, ſine cujuſquam præjudicio. At verò cauſa trium Capitulorum inter Orientales & Occidentales vertitur. Ergo à ſolis Orientalibus non poteſt legitimè judicari, quia ſoli non poſſunt eſſe judices in ſuâ cauſâ, cum præiudicio Occidentalium. Caret quartò legitimâ libertate ſuffragiorum; quæ enim libertas eſſe poſſit in eâ urbe, ubi Pontifex ipſe liber non eſt. Ergo legitimum non eſt Concilium Orientalium, ac meritò proindè reprobatum à Vigilio.

ſed meritò reprobavit; erat enim omni ex parte illegitimum, ſeu defectu legitimæ indictionis.

Seu defectu legitimæ præſidentiæ.

Seu defectu legitimi Epiſcoporum conventûs.

Seu defectu legitimi proceſſûs.

Accuſatur deniquè Vigilius quòd Concilium antea reprobatum deindè approbarit.

Sed ſi Concilium Orientalium meritò reprobavit Vigilius ut illegitimum, cur aliquantò poſt ut legitimum approbavit? Extat enim Vigilii Decretalis Epiſtola confirmativa Synodi quintæ: quam Epiſtolam Archiepiſcopus noſter nunquàm ſatis laudatus è Græco tranſtulit in Latinum. Hallucinantur hîc Hæretici, & nonnulli fortè Catholici. Non approbavit Vigilius Concilium Orientalium ut legitimum, ſed tria Capitula, quæ à Concilio damnata fuerant, ipſe quoque authoritate Apoſtolicâ damnavit, habens pro Fratribus & Conſacerdotibus damnatores trium Capitulorum, & nullam Concilii mentionem faciens.

Sed Concilium Orientaliũ non approbavit Vigilius ut legitimum, damnavit ipſe dumtaxat tria Capitula Apoſtolicâ authoritate.

Non nego tamen, quin ea Vigilii Epiſtola ſit moralis quædam confirmatio Concilii, non quòd Concilium declaret fuiſſe legitimum, ſed quòd Sententiam Concilii de tribus Capitulis veram eſſe definiat.

Vigilii tamen Epiſtola haberi poteſt pro morali confirmatione Concilii.

Prudentiſſimè autem Vigilius rem totam ita definit, ne Orientales jam ſatis, & judicati retractatione & Concilii reprobatione exaſperatos omninò alienaret. Aliundè ſperans perſuaſurumſe Occidentalibus, potuiſſe citra injuriam Synodi Chalcedonenſis tria capitula damnari, eorumque damnationem, quæ ſecundùm ſe & independenter à circumſtantiis prætermitti poterat ac debebat, in præſentibus circumſtantiis, fuiſſe omninò neceſſariam.

Cur totum negotium Vigilius ita finierit.

Quod reipſâ perſuaſit exceptis Schiſmaticis aliquot, quibus fortè, ſi ea data & explanata fuiſſent, quæ jam diximus, ne ipſi quidem tamdiu in ſuo Schiſmate perſtitiſſent. Minùs enim voluntate, quàm rerum ignoratione peccabant. Sed Eccleſiam, non Schiſmaticos defendere habeo, & jam pro cauſæ

momento ac gravitate, breviter, pro tenuitate noſtrâ tædioque veſtro prolixè nimis defendi. Concludamus, atque ut diſſertationis noſtræ fructus aliquis maneat.

Diſſertationis fructus quis eſſe debeat.

Ex totius negotii conſideratione:

Diſcant principes ſeu Eccleſiaſtici, ſeu politici ex totius conſideratione negotii, quàm parùm fidendum ſit Hæreticis, qui tum maximè alieni ſunt ab Eccleſiâ, cùm reditum ad Eccleſiam mentiuntur, crudelia bella meditantes, cùm pacem ſimulant, *Non eſt pax impiis* dicit Dominus, dicunt *pax & non erat pax.* Si damnarentur tria Capitula, promiſerant Eutychiani ſe ad Eccleſiam redituros, tria Capitula damnata ſunt, commotus eſt univerſus orbis, Eutychiani non redierunt.

Diſcant principes non fidere Hæreticis.

Diſcant inquieti novatores, diſcant ſapere, nam qui ventos ſeminant, turbinem metent. Diſcant ex Theodoro Cappadoce authore illo damnationis trium Capitulorum & perturbatore Eccleſiæ, quàm verum ſit illud Chriſti effatum. *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala, væ autem homini illi per quem ſcandalum venit.* Nam impius ille moriens deſperantis in morem exclamabat, ut refert Liberatus, *ſe vivum incendendum per quem tale ac tantum ſcandalum introiiſſet in mundum.* Felix! ſi incenderetur tantùm vivus, & non arderet, etiam mortuus.

Diſcant ſapere inquieti novatores.

Diſcant fideles ex magnâ illâ trium Capitulorum tempeſtate non adeò turbari, ſi quæ ſunt, præſentibus Eccleſiæ tempeſtatibus. Concutitur Eccleſia ædificata ſupra Petram, ſed non evertitur. Navicula Petri operitur fluctibus, ſed non obruitur. Dormit aliquandò Dominus, ſed ſuorum precibus tandem excitatus, imperat

Diſcant fideles non adeò turbari Eccleſiæ tempeſtatibus.

ventis & mari, fitque tranquillitas magna.

Diſcant Theologi noſtri Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſociare Theologiæ.

Diſcant Theologi noſtri ex ſpecie horridâ deciſæ à me Quæſtionis, quàm neceſſe ſit Theologo, in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ non leviter, ſed profundè verſari; veritas enim plerumquè non in ſuperficie, ſed in fundo eſt. Diſcant iidem quàm neceſſe ſit Lectorem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Theologum eſſe; eſt enim Hiſtoria Eccleſiaſtica mare magnum & ſpatioſum, in quo quiſquis diu navigare audet ſine ductu Theologiæ Scholaſticæ certiſſimè naufragabitur. Erubeſcant verò Hæretici noſtri, aut ignorantiam ſuam, aut malam fidem, nec deinceps nobis de tribus Capitulis negotium faciant, in quo nihil habent, quod ipſis favere poſſit, præter obſcuritatem cauſæ.

Sibi gratulentur Catholici omnes de pace Eccleſiæ redditâ, & finitâ trium Capitulorum controverſiâ.

Gratulemur nobis Catholici omnes, quòd in gravi iſtâ & longâ Eccleſiæ pugnâ, cùm inter pugnantium clamores, immenſamque excitati pulveris nubem, & dux fugiens, & conciſæ acies, & vexilla erepta, perditaque omnia putarentur, nunc tandem ſedatis clamoribus, reſidenteque pulveris nube, & conſtans Vigilii Pontificis prudentia, & inviolata Conciliorum authoritas, & ſalva infallibilitas Eccleſiæ, ſalva deniquè omnia & integra feliciter appareant. *Gratias Deo*, inquit Apoſtolus, *qui dedit nobis victoriam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum* Controverſiam trium Capitulorum finiit ille, qui fuerat occaſio controverſiæ, & qui nobis hoc anno Theologicarum diſputationum nobiliſſima materia futurus eſt, Verbum Incarnatum Jeſus Chriſtus Dominus noſter, nobis, ut ſpero, prò ſe diſputantibus nunquam deerit.

# DE HONORIO PONTIFICE

## In cauſa Monothelitarum.

DISSERTATIO THEOLOGICA.

Habita coram illuſtriſſimis Epiſcopis.

*Vnius vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum à fidei prædicatione eximatur.* Honorius in reſcr. ad Sergium.

HONORIUS Monothelita non fuit, Eccleſiæ Principes illuſtriſſimi : hoc mihi erit hodiernæ apud vos Diſſertationis argumentum,& Theologicarum diſputationum illuſtre præludium. Nec videbitur, credo, alienum à viro Theologo, magnos viros ac probè Catholicos vindicare ab infamiâ Hæreſis, ſi quàm fortè nullo ſuo merito incurrerunt. Primùm enim ſic præſtatur illorum memoriæ pium quoddam juſtumque defenſionis officium, quia calumnia Hæreſis, calumnia graviſſima eſt : *Culpa enim in fide*, inquit Pelagius ſecundus, *nec morte interveniente laxatur.* Deindè verò defenditur fides, cùm ab Hæreticis, ut ab

Debet Theologus magnos viros vendicare à calumniâ hæreſis.

Tum ipſorum cauſâ quorum memoriæ præſtatur pium quoddam juſtũ-

que defenſionis officium. injuſtis uſurpatoribus repetitur magnorum virorum authoritas, tamquam Eccleſiæ res, columen religionis, & fidei firmamentum : quamvis enim non fides ex perſonis, ſed perſonæ ex fide probentur, neque, ut verbis Tertulliani dicam, *Si quis Epiſcopus, ſi vidua, ſi virgo, ſi etiam martyr lapſus à regulâ fuerit, idcircò Hæreſes veritatem obtineant.* Eſt tamen magnorum virorum lapſus periculoſa vulgi tentatio, hærentque multi ad eam quæſtionem, ut ad ſcopulum, *quare ille vel illa*, inquit idem Tertullianus, *prudentiſſimi, ſapientiſſimi & uſitatiſſimi in Eccleſiâ, in illam partem tranſierunt?* Itaque cùm Honorium nego fuiſſe Monothelitam, mihi videor & videri velim, non tam unius Honorii, quàm fidei contra Monothelitas communem cauſam ſuſcipere.

Tum etiam cauſâ fidei dum ab hæreticis repetitur magnorum virorum authoritas.

*Lib. de præſcript. Adverſus Hæret.*

Venit, fateor, Honorius in ſuſpicionem Monotheliſmi; undè, ſi fidei quædam virginitas eſt, ſi fidei, ut caſtitatis, delicatus nitor infuſcari poteſt quâlibet aurâ ſuſpicionis etiam injuſtæ, non fuit Honorius eâ ex parte ſatis Catholicus, quemadmodùm ſatis caſta Virgo non eſt in ſenſu Cypriani, de cujus pudore dubitari potuit. Verùm nè quid cum Cypriano paulò ſeveriùs ſentiamus, ſi Suſannæ caſtiſſimæ feminæ pudor, quidni etiam Catholiciſſimi, ut ita loquar, Honorii fides pati calumniam potuerit? Atque ut ſe paulatim calumnia aperiat, ante omnia jndicare oportet cauſas diſſeminati rumoris de Honorio Monothelitâ. Quatuor omninò invenio.

Mali de Honorio rumores ut de Monothelitâ.

Rumorum cauſæ quatuor.

Prima causa eſt ipſorum Monothelitarum impudentia, qui jam multorum Orientis Patriarcharum præſidio ſuperbi, Honorium quoque

Prima. Fraus & impudentia

ſuum eſſe mentiebantur, quem ſuum eſſe maximè omnium voluiſſent, intelligentes ſcilicet habituros ſe in illo non cauſæ tantùm ſuæ Patronum, ſed judicem. Favebat vulgando mendacio, diſtantia locorum, diſſimulatio quædam Honorii cum Hæreticis, ut in periculoſis temporibus tum fortè neceſſaria, præpropera ejuſdem mors hominem ante occupans quàm Monothelitas apertè damnaret. Erat igitur facile, mentiri volentibus, obtinere fidem, ubi nemo quæ dicerentur argueret. Mentiri autem voluiſſe Monothelitas oſtendit ſatis communis genius Hæreticorum, quibus ſolemne eſt. 1°. Magnorum virorum patrocinium & umbram quærere, ac ſi non habent, mentiri. 2°. Numerare inter ſuos quos non habent apertos adverſarios. 3°. Diſſimulare quoad licet, odia & inimicitias cum magnis viris, donec palam eruperint. Atque hinc intelligant magni viri & politici cunctatores, ex politicâ illâ ſuâ, & longâ diſſimulatione cum Hæreticis, quantum lucri ferè reportent, infamiam ſcilicet Hæreſeos; in cujus ſuſpicione neminem vult Hieronymus patientem eſſe.

Monothelitarum, qui Honorium ſuum eſſe mentiebantur.

Communis Hæreticorum genius quis ſit.

Altera calumniæ cauſa eſt Græcorum Epiſcoporum invidia ſparſos rumores de Honorio, Pontifice nimirùm Romano, avidè accipientium. Scitis enim, viri clariſſimi in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ egregiè verſati, ſcitis quid maximè doleret Orientalibus. Crediderant ambitioſi græculi, ex quo relictâ Româ Byzantium migraverat Conſtantinus, Petrum pariter cum Conſtantino Romam reliquiſſe, ſuamque pariter ſedem tranſtuliſſe Byzantium. Quare ſtatim ex Byzantino

Secunda: Græcorum Epiſcoporum invidia.

Epiſcopo prodiit novus primas, ex primate Patriarchâ, ex Patriarchâ Epiſcopus, ut Græcis appellare placebat, Oecumenicus. Sed hunc honoris titulum Romani Pontifices, ut ſibi unicè proprium, & Sedis Apoſtolicæ notam incommunicabilem, ne quis uſurparet, totis viribus obſtiterunt, controverſiam iſtam, quam Græci dicebant, quæſtionem de nomine, gravem & capitalem reputantes. Hinc cauſæ irarum, hinc novæ Romæ cum antiquâ contentiones perpetuæ. Hinc filiæ nimiùm ſuperbientis triſte tandem à matre, ſeu matrice Eccleſiarum divortium. Cùm autem Latini Græcis inſtarent robuſto hoc argumento, Oecumenicum ſeu univerſalem eſſe non poſſe Epiſcopum illius Eccleſiæ, in quâ tot ſediſſent Hæretici, uti Conſtantinopoli ſederant, commodè utebantur Græci opportunitate diffamati Honorii, ut objicientibus Latinis Græcorum Patriarcharum lapſum, unum ſaltem illi Romanum reponerent.

Tertia. Sequentiũ Hæreticorum odium in ſedem Apoſtolicam.

Tertia mali rumoris cauſa eſt, ſequentium Hæreticorum rabies quædam & furor in ſedem Apoſtolicam, à quâ ferè damnantur omnes: indè enim fit, ut Romanorum Pontificum lapſus ſedulò colligant, notent, fingant, exaggerent, inculcent, inferciant, alii ex aliis per manus accipiant tradantque poſteris: nimirùm alias traditiones non habent. Ita ulciſcuntur injuriam, ut aiunt, damnationis ſuæ. Sed quis ſapiens non videat reorum adverſùs judicem querelas pro ſuſpectis habendas eſſe.

Quarta.

Quarta demùm cauſa eſt prævaricatio Catho-

licorum, & mortalium quidam ſtupor, craſſaque ignorantia. Id quod ſuperioribus annis planè apparuit, cùm toties dabatur fabula mundo Honorius. Ac primùm quidem producebatur in veſte Monothelitæ. Paulò verò poſt facti pœnitens, aut etiam omninò innocens repræſentabatur, injuſtè tamen & miſerabiliter damnatus à ſextâ Synodo. Tum verò, quid fiebat? Spargebantur liberali manu infames contra Honorium libelli. Catholici interea, alii libellis ejuſmodi nihil opponendum ſentiebant præter ſilentium & contemptum: doctos aliquos tenebat negligentia, nè quid contra ſcriberent. Timidiores alii vapulare nolebant pro Honorio, aut derivare in ſe odia calumniatorum. Ridebant multi ex licentioribus, qui nimirùm ex lapſu magnorum virorum excuſare ſolent fragilitatem ſuam. Legebantur avidè libelli, plaudebatur calumniæ, credebatur paſſim ita narrantibus ſine numero & ſine nomine chartis.

Ipſorum etiam Catholicorũ prævaricatio aut ſtupor.

Habetis quibus artibus diffamatus fuerit Honorius, & rimam, opinor, facere incipit calumnia inventa à Monothelitis, aucta à Græculis, per Hæreticos propagata, dormientibus aut diſſimulantibus Catholicis. Nunc quandò nubes illa infamiæ popularis amota eſt, uti ſe res habet paucis dicam.

Definierat Synodus Epheſina contra Neſtorium unam eſſe in Chriſto perſonam. Definierat Concilium Chalcedonenſe contra Eutychem duas eſſe in Chriſto naturas. Ex utrâque illâ definitione exorta eſt nova Hæreſis, unam eſſe in Chriſto voluntatem, unamque operationem, & ita

Breviculum Hiſtoriæ Monotheliſmi.

ſentientes, Monothelitæ, dicti ſunt, quorum caput & quaſi Dux fuit Theodorus Epiſcopus Pharan. Is cum Sergio Patriarchâ Conſtantinopolitano, & Cyro Patriarchâ Alexandrino ſcripſit communi conſilio fidei formulam quandam, quæ novem continebat articulos, Catholicos omnes, uno excepto, quo dicebatur, ſicut in Chriſto unus eſt operator & unus volens, ita unam eſſe voluntatem unamque operationem. Sophronius verò, qui tum agebat Monachus Alexandriæ ubi ea tractabantur, Sergio vehementer inſtitit, *cum humilitate*, ut loquitur Sanctus Maximus, *qua Monachi habitum decebat, ad genua ejus provolutus & obteſtans, ne vocem Hæreticorum probè olim à Sanctis Patribus extinctam renovaret.* Quem Sergius vix audire dignatus rejecit in clauſtra tamquam perturbatorem Eccleſiaſticæ pacis. Sed Paulò poſt idem Sophronius factus de Monacho Patriarcha Hieroſolymitanus, pro fide pugnare cœpit & acriùs & potentiùs. Scripta utrimque fuere multa, ſed à Sophronio præſertim prodiit magna illa & Synodica Epiſtola recitata in undecimâ actione ſextæ Synodi. Quam Epiſtolam ex ipſo Sacro Monte Calvariæ ad ſingulos Patriarchas, & nominatim ad Honorium direxit; cùm intereà Sergius & Cyrus totum hoc negotium quæſtionem inanem & Grammaticalem vocarent. Ad conciliandas partes viſum eſt aliquibus abſtinere ab unius ſimul & geminæ operationis vocabulo, conſenſitque pro temporum iniquitate Sophronius. Sergius verò ad Honorium ſcripſit ingens bonum ex eâ conventione ſperari, exponenſque fidem

Origo & Authores illius.

*In diſp. cum Pyrrho Monoth.*

Sophronii zelus.

Sergii Literæ ad Honoriũ.

fidem ſuam, ut videbatur, Orthodoxè, Concilium Chalcedonenſe, & Sancti Leonis Epiſtolam illam quam Patres Tomum Dogmaticum & columnam Concilii directricem appellabant, prolixè laudavit, ipſiuſque demùm Honorii Cenſuræ ſe ſubmiſit: id quod videri potuit ſincerè facere propter opinionem Sanctitatis. Undè nihil mirum, inquit Baronius, ſi Sergiò viro in ſpeciem bono & ſincero honorificè reſcripſerit Honorius, approbaritque quod ab eo proponebatur, ſilentium ſperans fore fibulam pacis. Verùm conventi leges malè ſervatæ. Nam Sergius cum ſuis unam paſſim prædicare voluntatem, idque, ut ajebant, de Sententiâ Honorii. Neque poterat Honorius abſens diluere calumniam, interque malos rumores mortuus eſt. Hinc tota mali labes. Porrò cùm ea hæreſis per quadraginta annos à Sergio ad quatuor ejus ſucceſſores propagata latiùs ſerperet, neceſſe fuit cogi ſextam Synodum, ubi poſt damnatos quos Agatho Pontifex in ſuis Litteris notaverat, placuiſſe dicitur Patribus damnare & Honorium. Ita enim legimus in actis Concilii actione decimâ tertiâ: *Cum his autem projici & Anathematizàri prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eò quòd invenimus per ſcripta quæ ad Sergium facta ſunt, quia in omnibus ejus mentem ſequutus eſt, & impia ejus Dogmata confirmavit.*

*Ad Annum Chriſti 633.* Reſcriptũ Honorii ad Sergium.

Damnatio Honorii in ſextâ Synodo.

Hæc eſt, viri clariſſimi, rei geſtæ Hiſtoria; quâ poſitâ, ſic pro Honorio breviter Argumentor. Si Monothelita dicitur Honorius, vel id habetur ex ſparſis de illo rumoribus, vel ex datis ad Sergium litteris, vel ex teſtimo-

Argumentatio pro Honorio. Qui non probatur Monothè-

lita ex ſparſis de illo rumoribus.

nio ſextæ Synodi Honorium damnantis: Atqui ex nullo horum capitum dici poteſt Honorius Monothelita. Non quidem ex ſparſis de illo rumoribus, præjudicium enim iſtud quàm leve ſit jam præmiſimus. Sed neque ex datis ad Sergium litteris, per illas enim apertè reclamat Honorius. *Utraſque*, inquit, *in Chriſto naturas unitate naturali copulatas, & cum alterius communione operantes, & operatrices, confiteri debemus, & divinam quidem, quæ Dei ſunt operantem, & humanam, quæ hominis ſunt exequentem.* Deindè confitetur ibidem Honorius duas naturas propria operantes: ſed ſi quælibet natura propria operatur, ſunt in Chriſto duæ operationes, ut naturæ duæ: igitur Honorii confeſſio *Catholiciſſima eſt*, ut concludit Bellarminus, & Monothelitarum Hæreſim apertè deſtruit. At inquies, interdixit Honorius vocabulo geminæ operationis? Atqui etiam & unius: Ergo non magis hinc probatur Monothelita, quàm Catholicus. Sed quam ob rem id fecerit ex ipſo audiamus. *Unius*, inquit, *vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum à fidei prædicatione eximatur. Nam qui hoc dicunt, quid aliud niſi juxta unius vel geminæ naturæ Chriſti vocabulum, ita & operationem unam vel geminam ſuſpicantur.* Quaſi diceret, qui unam admittunt in Chriſto naturam, unam admittunt operationem, qui duas naturas, geminam quoque operationem. Atqui certum eſt ab Honorio admiſſas fuiſſe duas in Chriſto naturas: ergo & duas operationes.

Non ex datis ad Sergium litteris.

Non ex judicio ſextæ Synodi.

Opponet rurſùm aliquis damnatum fuiſſe Honorium à ſextâ Synodo tamquam Sergio conſentientem, imò ipſas Honorii litteras igni adju-

dicatas. Sed contra: ſunt qui velint corrupta fuiſſe hujus Concilii acta, inſertamque illis malâ manu Græcorum damnationem Honorii, remque ita probat Baronius, ut cuique prudenti magna fiat ſuſpicio imposturæ. Ex actis autem dubiis & pluſquam probabiliter falſis concludi nihil poteſt; ſtat enim poſſeſſio pro innocentiâ. Alii Honorium quidem à Synodo verè damnatum volunt, ſed nullâ ſervatâ formâ judicij, non Canonicè, non legitimè damnatum: Atqui damnatio illegitima, & non Canonica, habetur pro nullâ. Hîc ego, Auditores, prætermiſſâ Baronii aliorumque ſententiâ probabili, mediam quamdam viam iniens objectioni ſic reſpondeo. Damnatus fuit Honorius à ſextâ Synodo: damnatæ fuere Honorii litteræ: tranſeat Antecedens. Ergo Monothelita fuit Honorius. Nego conſequentiam, & ita nego, ut ſalvam ſimul integramque velim authoritatem Concilii. Rationem accipite hujus concordiæ. *Ad Ann. 681.* Quia benè ſtat Synodi Authoritas cum innocentiâ Honorii.

Concilio in Litteris Honorii diſplicere hoc unum potuit, quòd juberet Honorius abſtinere vocabulo unius & geminæ operationis, uti ſuggeſſerat Sergius. *Unius & geminæ operationis vocabulum noviter introductum à fidei prædicatione eximatur.* Litteræ verò Honorii, quatenùs uſurpari prohibent geminam operationem, ſpectari poſſunt dupliciter; vel tamquam regulæ quædam & definitiones fidei, vel tamquam mera præcepta & ſimplices prohibitiones ad exterius Eccleſiæ regimen pertinentes. Nam, ut habent Pontifices duplicem poteſtatem, unam directivam fidei & Doctrinæ. Alteram præceptivam & directivam morum; rem unam aliquam prohibere Modus illæ concordiæ explicatur. Litteræ Honorii ſpectari poſſunt dupliciter, vel ut regulæ quædam & definitiones fidei, vel ut mera præcepta

poſſunt, vel tamquam adverſantem fidei, vel tamquam paci fidelium & charitati contrariam. Utrâ poteſtate uſus ſit Honorius, & quo tandem modo geminæ operationis vocabulo interdixerit, magni, ut videtis, ad quæſtionem præſentem intereſt.

& ſimplices prohibitiones.

Dico igitur 1°. Cùm interdixit Honorius vocabulo geminæ operationis, non eſt uſus poteſtate directivâ fidei, ejuſque ad Sergium Litteræ, quatenùs uſurpari prohibent geminam operationem, mera fuere præcepta, non definitiones fidei. Demonſtratur. Quia negat Honorius velle ſe quidquam definire, & cauſam ſui hujus præcepti non aliam aſſignat quàm ſcandalum, offenſionem & ſimplicitatem hominum; quæ omnia prohibitioni ſimplici magis locum dabant, quàm fidei definitioni. Deindè id tantùm fecit Honorius per Litteras, quod poſtulabatur à Sergio: ſed Sergius non ferri quidem ſententiam rogabat, aut definiri quæſtionem, ſed imperari ſilentium, tamquam pacis obtinendæ viam breviſſimam. Deniquè *non nos oportet*, inquit Honorius, *unam aut duas operationes prædicare:* Atqui definire non potuit, nec unam eſſe, nec duas; cùm unam eſſe vel duas omninò neceſſarium ſit: Ergo nihil hîc definiit Honorius, ſed prohibuit tantùm ne una, vel duæ dicerentur.

Reipsâ tamen fuerunt mera præcepta, non definitiones fidei.

Dico 2°. Quo tempore datæ ſunt ad Sergium Honorii Litteræ, nihil fidei nocebant, ſaltèm directè. Ratio eſt, quia datæ ſunt quo tempore Catholicos inter & Monothelitas cauſa pendebat: cauſâ verò pendente, poteſt judex utrique parti ſilentium imponere, ſalvo utriuſque jure; ſi nimirùm, vel nondùm intervenit ſatis matura

Quo tempore datæ ſunt Honorii litteræ nihil fidei nocebant ſaltèm directè quia tunc cauſa pendebat.

deliberatio, vel non adeſt ferendæ ſententiæ opportunitas. Sed eædem Honorii litteræ etiam quo tempore datæ ſunt, fidei nocebant indirectè; quatenùs addebant animos Monothelitis, & ſpatium dabant diſſeminandi erroris.

Sed nocebant eædē indirectè quia hæreticis animos, & ſpatium dabant.

Dico 3°. Tempore ſextæ Synodi, hoc eſt quadraginta circiter poſt annos quàm ſcriptæ ſunt Honorii litteræ, fidei nocebant non indirectè tantùm, ſed etiam directè. Quia jam non ampliùs cauſa pendebat, & poſt Synodi definitionem finita erat controverſia. Quamvis ergo cum Monothelitis nullatenùs ſenſerit Honorius, potuit tamen ſexta Synodus damnare ejus litteras; quia ex hoc incipiebant directè nocere fidei, & eſſe contra fidem: finitâ enim controverſiâ quælibet hæſitatio & vacillatio in fide, fidei nocet, & eſt contra fidem. Potuit & damnari Honorius ipſe tamquam Sergio conſentiens, non quidem acquieſcendo hæreticæ illius ſententiæ, ſed pacis viam, quam hæreticus callidè nimis ſuggeſſerat, approbando. Confirmaſſe autem dicitur impia Sergii Dogmata, non calculo quidem ſuo, ſed quatenùs prohibitione illâ locum dedit impiorum Dogmatum propagationi. Idque tantùm indicare voluit Leo II. cùm ait Honorium *non extinxiſſe, uti decebat, Apoſtolicâ authoritate Hæretici Dogmatis flammam incipientem, ſed negligendo confoviſſe.*

Tempore verò ſextæ Synodi fidei nocebant etiam directè. Quia finita erat controverſia.

Potuerunt ergo damnari à ſextâ Synodo quamvis Honorius non damnaretur ut Monothelita.

Potuit & damnari Honorius non ut hæreticus, ſed ut fautor hæreticorum.

*Epiſt. ad Epiſc. Hiſp.*

Utrum verò imprudenter fecerit Honorius, & jure à Concilio eo nomine damnatus ſit, nihil hîc diſputo. Nam neque illum ab imprudentiæ, ſed ab erroris notâ vendicare habui, neque Concilium in eo factorum genere contendo eſſe extra omnem ſuſpicionem & periculum erroris.

Totum cauſæ judicium præſentibus Illuſtriſſimis Epiſcopis relinquitur.

Veſtrum ſit de re totâ judicium, Principes Eccleſiæ Illuſtriſſimi, ſic enim reputate, non huc veniſſe vos, ut de me tantùm, ſed de ipſo etiam Honorio ſententiam feratis. Ille ab Hæreticis Pontificum diffamatoribus, à Græcis Romanorum invidis, à judicio populi malè creduli, & malos rumores avidè aucupantis, recipit ſe quaſi in arcem ſapientiæ veſtræ, quò nec calumnia nec perfidia habere poſſit acceſſum; voſque in tanto famæ periculo appellat, ut veræ fidei Pattres, Sedis Apoſtolicæ defenſores, Eccleſiæ Romanæ filios, nec dubitat ſuum nomen ei genti credere, cui toties Summi Pontifices perſonam & authoritatem ſuam crediderunt. Quantus vobis hodiè ſimul, & quantulus cliens obtingit! Quantus enim Honorius, & quantulus ego! Sed ille in ſapientiâ & integritate veſtrâ victoriæ ſpem collocat: ego cauſæ meæ ſpem omnem pono in favore veſtro. Honorio igitur primùm pro veſtrâ æquitate & ſapientiâ jus dicite; ac mihi deindè periculoſiùs laboranti pro veſtrâ benevolentiâ favete.

# DE LUCA EVANGELISTA.

## PRO INSTAURATIONE Studiorum.

---

## CONCIO ACADEMICA.

In quâ multa explicantur ad Lucæ Evangelium pertinentia.

*Miſimus cum illo Fratrem noſtrum, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias.* Paul. 2. Cor. Cap. 8.

CUM fortè ad Studia Litterarum ſolemniter inſtauranda, & gratulandum almæ Academiæ reditum, inuſitatam hanc Cathedram aſcenderem; erubui totus, non tam iſtius colore purpuræ, quàm ſenſu quodam pudoris & verecundiæ; quòd ſcilicet novum hodiè ſpectaculum factus, in tantâ luce appaream, primus ego de ſocietate noſtrâ Academiæ Orator,

Habita in Eccleſiâ Sancti Dominici.

quem ordine & merito poſtremum latere oportuiſſet. Miſiſtis quidem vos, Patres Academiæ venerandi, miſiſtis Fratrem aliquem Collegamque veſtrum, nam me eo etiam nomine dignamini: ſed profectò non eum miſiſtis, *Cujus laus ſit in Evangelio:* Sentio enim mihi Evangelicæ Eloquentiæ laudem, aut exiguam eſſe, aut nullam; omninò detrectaturus iſtud onus dicendi, ſi non idem humilis obſequii partes omni Eloquentiâ potiores eſſe intelligerem. Ergò, ut pro munere Oratoris Lucalia noſtra aperiam, & Magnum Academiæ Evangeliſtam de more celebrem; obſervo ſtatim cum Gregorio Nazianzeno ipſa mundi primordia conſecrata fuiſſe effectione & commendatione lucis: *Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux, & vidit Deus lucem quòd eſſet bona.* Itàque feciſſe Deum ſapientiſſimum opificem notat ingeniosè Sanctus Doctor, tum ad commendationem ſapientiæ ſuæ, ne ipſe in tenebris, & cæco modo operari videretur; tum ad oſtenſionem ſuorum operum, quæ non jacere obſcura, ſed in bono lumine eſſe voluit; tum deniquè ad inſtitutionem noſtram, ut diſcamus ab invocatione Divini luminis initium facere operandi, &, quod ait Apoſtolus, *honeſtè ſicut in die ambulemus, abjicientes opera tenebrarum.* Nec diſſimili conſilio factum puto, ut ab eo Evangeliſtâ, cui lux ipſa nomen fecit, *Lucam* ſeu *Lucium* intelligitis, Annum Litterarium Academia auſpicetur, quo primùm die ſuis ipſa luminibus ſplendida coruſcat, totidem Lucios oſtentans, quot Anteceſſores; ut alumnis ſuis eo ipſo inſinuet, ſine ope Divinæ lucis ad ſapientiam non perve-

*Orat.* 43.

Ut mundi primordia conſecravit Deus effectione & cōmendatione lucis.

*Geneſ.* 1.

*Ad Rom.* 13.

Ita annum litterarium auſpicatur Academia à Lucâ ſeu Lucio Evāgeliſtâ, cui lux ipſa nomen fecit.

niri, & per ſapientiam magnum homini ſplendorem fieri: Omnia enim bona veniunt cum illâ, *& innumerabilis honeſtas per manus illius.* Atque hinc credo eſt, quòd iſta ſtudiorum inſtauratio fieri ſolet in æde clariſſimi Ordinis Sancti Dominici, cui fax accenſa pro Symbolo eſt, ad orbem univerſum & ſplendore Doctrinæ illuſtrandum, & igne Divinæ charitatis accendendum: eò etiam pertinere videtur quòd coram Reliquiis Sancti Thomæ ſupplex Academia procumbit; veneratura ſplendidum Theologiæ ſolem, & exceptura radios illius ſapientiæ, quam *ſine fictione didicit, & ſine invidiâ communicat.*

Idque ſapientiſſimo conſilio. *Sap. 7.*

In æde Sancti Dominici.

Et coram reliquiis Sancti Thomæ.

Magnum Academiæ Evangeliſtam laudaturus, argumentum laudis non tam de meo, quàm de Pauli ſenſu depromam; ut Canonici Scriptoris quem laudandum ſuſcipio, laudatio ipſa Canonica ſit; & quam à me non habet authoritatem, à Paulo accipiat. Nam, quæ duo in laudatore ſuſpicionem fraudis facere poſſint, ignorantia & adulatio, procul abſunt à Paulo Lucæ commendatore: Is enim & Lucam intimè novit comitem utiquè individuum peregrinationis ſuæ, nec dubitare fas eſt, quin eum nobis ſincerè expreſſerit, qualem noverat. Audite igitur, viri Fratres, quemadmodùm Lucam Paulus deſignet in ſuis ad Corinthios commendatitiis Litteris: *Miſimus*, inquit, *Fratrem noſtrum cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias.* Notate inſignem Lucæ caracterem: *Fratrem noſtrum, cujus laus eſt in Evangelio.* Hoc ſolùm radio Lucas monſtratur; hâc ſolùm notâ diſtinguitur; hoc ſolùm elogio coronatur: *Cujus laus eſt in*

Elogium Lucæ de Pauli ſenſu.

*2. Ad Cor. cap. 8.*

Inſignis Lucæ caracter.

*Cujus laus eſt in Evangelio*

*Evangelio.* Laudem alii ſuam ex nobilitate generis, & ſplendore natalium; alii ex principatu, & regimine populorum; alii ex Bellicâ fortitudine, & rebus præclarè geſtis; alii aliundè captabunt, Lucas nonniſi ex *Evangelio.* Politicorum laus erit in arte regnandi; divitum in aggerandâ pecuniæ vi; curioſorum in vanâ Philoſophiâ; aliorum in aliis: at Lucæ noſtri tota laus erit in *Evangelio.*

Triplex ab Evangelio laus. Prima. Ab Evangelio vitâ & moribus expreſſo. Secundæ. Ab Evangelio prædicato. Tertia. Ab Evangelio ſcripto.

Poteſt autem homini triplex ab Evangelio venire laus. Prima ab Evangelio vitâ & moribus expreſſo. Altera ab Evangelio prædicato. Tertia ab Evangelio ſcripto; quam triplicem laudem pauci admodùm ſunt qui colligant. Non enim omnis qui Evangelium vivit, Evangelium prædicat. Non omnis vivit, qui prædicat. Non quicumque Evangelium vivit aut prædicat, Evangelium ſcribit: nec continuò vivit aut prædicat, quicumque ſcribit. Sed hæc omnia unus in ſe Lucas plenè collegit; ut ex Evangelio plenitudinem laudis acciperet, & præcipuo quodam jure illam Pauli commendationem mereretur: *Miſimus Fratrem noſtrum cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias.*

Lucas autem Evangelium pleniſſimè vixit, pleniſſimè prædicavit, pleniſſimè ſcripſit.

Siquidem Magnus Evangeliſta Evangelium pleniſſimè vixit, Evangelium pleniſſimè prædicavit; Evangelium pleniſſimè ſcripſit: omnem Evangelizandi modum ſecutus, Evangelizavit exemplo, Evangelizavit verbo, Evangelizavit ſcripto. Cœpit exemplo, continuavit verbo, ſcripto conſummavit. Quæ tria ſi pro dignitate tractavero, & Magni Lucæ elogium, & præſentis diei ſolemnitatem, & veſtram de me expectationem implebo,

Magnus Evangeliſta Lucas cùm dicitur Evangelium plenè vixiſſe, id ſolùm feciſſe dicitur, quod Paulus Fideles omnes hortatur ut faciant, & quod à paucis admodùm fit. *Induite,* inquit, *novum hominem qui ſecundùm juſtitiam creatus eſt.* Nam quid eſt novum hominem ſeu Chriſtum induere? Niſi Chriſti vitam & mores ſic imitari, ut ſolus in nobis Chriſtus, veſtimenti inſtar appareat: ſed quia hæc veſtimenti ſimilitudo, exterioris ſolùm imitationis ſpeciem ingenerat, audiamus Apoſtolum id quod volumus alio loco pleniùs inſinuantem: *Mihi,* inquit, *vivere Chriſtus eſt:* Ei autem ſoli vivere Chriſtus eſt, qui Chriſti vitam externâ ſimul & internâ imitatione omninò expreſſerit. Quo ſenſu vivitur Chriſtus, eodem planè vivitur Evangelium Chriſti. Sed laus iſta, Fratres, quàm paucorum ſit, attendite. Quàm pauci ſunt, qui Evangelium plenè vivant. Videte enim quibus officiis tota iſta res contineatur. Evangelium oportet profiteri ſine rubore, vivere ſine ſimulatione, totum amplecti ſine exceptione, in finem uſquè perducere ſine intermiſſione: ea verò officia quis implet? Ecquis audacter Evangelium profitetur? Ecquis ſincerè vivit Evangelium Chriſti? Ecquis totam Evangelii perfectionem vivendo complectitur? Ecquis conſtanter ad finem uſquè ſine ullo hiatu perducit? Paucorum eſt audax illa Pauli confeſſio: *Non erubeſco Evangelium.* Paucorum eſt terribilis illa Tertulliani imprecatio: *Væ mihi ſi confundar de Domino meo:* Nam etiam nunc adulto licet ac dominante Chriſtianiſmo, Chriſtiani non pauci proh pudor! Doctrinam & exem-

Prima pars.

Evangelium plenè vivere idē eſt quod induere novum hominem.

Idem, quod Chriſto vivere, ſeu Chriſti vitam perfectâ imitatione exprimere.

*Ad Phil.* 1.

Quibus officiis tota iſta res contineatur.

*Ad Rom.* 1.

Evangeliū profiteri ſine rubore.

*Lib.* 1 *contra Marcion.*

plum Chriſti erubeſcunt, vix umbram & ſuperficiem Chriſtianiſmi retinentes. Sed quàm multi umbrâ, & ſuperficie contenti vivunt hypocritæ, ferunt ſe pro reformatoribus orbis, cum ſint ipſi toti diſtorti ac difformes: alligant aliis onera gravia, & importabilia, quæ digito movere nolunt: nil niſi auſteritatem & pœnitentiam loquuntur homines molles, libidinoſi mulierculärum circumductores: non eſt hoc Evangelium vivere; ſed mentiri. Proh pudor! Quàm multos habet Chriſtiana Reſpublica ſemi-Chriſtianos, dividentes Chriſtum, qui dividi non poteſt; ſequentes quod lubet, & quod lubet reſpuentes: rari ſunt, quibus illud Chriſti fixum ſit ratumque: *Iota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*: Rariores, qui obſervationi legis conſilia adjungant: rariſſimi, qui primos Evangelii apices ſequantur. Proh pudor! In ipſâ Domini Areâ quot paleæ ſunt, ad quamlibet auram avolantes? Quot interpolatores lucis & tenebrarum? Quot à Chriſto transfugæ, & ut loquitur Auguſtinus, *Temporales*, ad finem uſquè non perſeverantes. Intelligitis opinor, Fratres, & doletis tam paucos eſſe qui plenè Evangelium vivant: ſed neſcio an ſatis intelligatis Evangeliſtam noſtrum eſſe de numero paucorum. Verùm quàm facile & patens eſt unum, tam obſcurum & difficile videtur alterum; cùm de vita & moribus Lucæ nihil ferè extet apud Authores Canonicos; ipſe verò qui in aliorum geſtis evulgandis tam diligens fuit & accuratus, altum de ſe ſilentium tenuerit: quid ergo faciemus, Auditores, an hærebimus, & deſiſtemus ab in-

Vivere ſine ſimulatione.

Totum amplecti ſine exceptione.

*Matth. 5.*

In finem uſquè perducere ſine intermiſſione.

*Lib. de Prædeſt. Sanct.*

Paucorum eſt ea laus, ſed de numero paucorum eſt Lucas Evãgeliſta.

Probandi difficultas ex Lucæ ſilentio de ſe, aut aliorũ de ipſo.

cæpto? Minimè verò: interrogabimus ipſum Lucæ, aut aliorum de Lucâ ſilentium. Educemus lucem de ipſis tenebris quibus ſe involvit; eòque juvante, *Qui facit de tenebris lumen ſplendeſcere*, de tenebris juſtitia Lucæ, quaſi lumen erumpet. Quid eſt igitur quòd Lucas nihil de ſe, quid eſt quòd de illo alii tam pauca dixere? Quod de ſe ipſe nihil dixit, modeſtiam & humilitatem Evangelicam interpretor; clamat nimirùm ſilentio ſuo bonus Evangeliſta, *Non noſmetipſos prædicamus, ſed Chriſtum crucifixum:* Non erubuit ergo Chriſtum, qui ſe ipſe erubuit; ſincerè vixit, qui gloriam hominum fugiens, latere voluit, nullum vitæ Chriſtianæ officium prætermiſit, qui, quod difficillimum erat, & maximè arduum, ſecutus eſt, *ama neſciri & pro nihilo reputari:* Non fluctuavit, qui ſupra ſolidam petram tam alta jecerat humilitatis fundamenta. Nec minùs loquax eſt ſilentium aliorum, qui de Lucâ nihil ferè dixerunt, ſive guſtui hominis latere amantis ſervire voluerint; ſive putarint ipſum ſolis inſtar ſuâ ſe luce ſignantem, alienis radiis non indigere quibus monſtraretur; ſive deniquè in Evangeliſtam currum gloriæ Dei trahentem, ſatis ſplendoris refuſum iri præviderint de ipſo curru quem trahebat, juxta illud Ezechielis, *Animalia ibant & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* Verùm, ne cui fortè videantur hæc ſubtiliùs dicta, quàm veriùs; triplicem afferre placet conjecturam, undè omnes intelligant, Lucas noſter quàm plenè Evangelium vixerit. Prima conjectura ex eo ducetur, quòd fuit Lucas inſignis Chriſti Diſcipulus. Altera, quòd

Sed ipſum ſilentium loquax & clamoſum eſt.

Seu ſilentium lucæ de ſe ipſo.

2. *Ad Cor.* 4.

Seu ſilentium aliorum de Lucâ.

*Cap.* 1.

Triplex conjectura in favorem Lucæ.

Prima. Quòd Lucas inſignis fuit Chriſti diſcipulus.

Mariæ cliens addictiſſimus. Tertia, quod Pauli comes individuus ſociúſque chariſſimus: dabo ſi annuitis, ſingulis conjecturis ſuam lucem.

*Epiph. hæreſ. 51. Doroth. in Synopſ.*

Multorum quidem opinio eſt, fuiſſe Lucam de numero ſeptuaginta duorum, quos *deſignavit Dominus*, ut mitteret *binos ante faciem ſuam*, veluti *prodromos* aut *præcurſores* adventus ſui: nec deſunt qui addant Lucam unum eſſe de duobus, quibus Dominus euntibus in Emaüs poſt Reſurrectionem, in ſpecie viatoris & peregrini apparere ac convivere dignatus eſt. Sed longè probabilius crediderim cum Tertulliano, Irenæo, aliiſque pluribus, Lucam nec de Apoſtolis fuiſſe, nec de illis ſeptuaginta duobus à Domino deſignatis, quòd ſatis ipſemet innuit in Prologo Evangelii ſui; ait enim ſe ſcripſiſſe, *ſicut tradiderunt, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis:* Quibus verbis ſignificat, non ſe vidiſſe quæ ſcripſerat; ſed auditione ab iis qui viderant accepiſſe: quare Lucam rectè appellat Tertullianus, non Apoſtolum, ſed *Apoſtolicum virum*; quo nomine olim donabantur ii qui non Chriſtum ipſum, ſed Chriſti Apoſtolos audiviſſent. Nihilominùs tamen Lucam aſſero inſignem fuiſſe & non vulgarem Chriſti Diſcipulum: nam, ſeu tempus, ſeu locum, ſeu modum electionis ſpectemus; omnia Lucæ ſuffragantur; ut in diſciplinâ Chriſti inſigne aliquid & præcipuum habere credatur. Lucas Antiochenus fuit, de eâ nimirùm civitate quæ Chriſtianiſmum naſcentem ita aluit, ut ibi primùm diſcipuli ſectam facientes, Chriſtianorum nomen acceperint. Lucas ad Chriſtum proſelytus acceſſit, quo tempore junior Eccleſia,

*Tertul. lib. 4. contra Marcion. c. 1. Iren. lib. 1. c. 2.*

Seu locus ſeu tempus ſeu modus electionis ſpectetur.

calente Chriſti ſanguine, exemplis adhuc recentibus tota fervebat. Lucas deſignatus fuit diſcipulus non ſortitione cæcâ, ſed maturâ & prudenti electione. Lucas diſcipulus fuit *Abortivus*, quo ſenſu Paulus abortivum ſe Apoſtolum nominat; hoc eſt ultrâ numerum & ordinem, Apoſtolorum Collegio ſociatum; nam *Senatores Abortivi* dicebantur, qui fuerant extra numerum in Senatum allecti, ut notat Suetonius in Octavio. Iſta autem extra numerum & ordinem cooptatio excellentis cujuſdam meriti argumentum erat. Lucas ſubrogatus fuiſſe creditur in locum diſcipuli cujuſpiam deſertoris; quantâ autem virtute opus erat ad eam jacturam reſarciendam? Quanto boni odore ad expungendum, exſufflandùmque tetrum odorem Apoſtatæ fugientis? Lucas datus fuit Paulo in ſocietatem, ut Barnabæ Coapoſtoli partes impleret: qualis ergo & quantus eſſe debuit, qui & Barnabæ ſuccedere, & Paulo ſociari mereretur. Lucam igitur inſignem fuiſſe & non vulgarem Chriſti diſcipulum nemo veſtrûm non videt. Atqui diſcipulum Chriſti, non ſola intelligendi vis, aut iners quædam ſpeculatio facit, ſed plena & perfecta Chriſti imitatio: Lucas igitur Chriſtum plenè imitatus eſt; ac proindè plenè Evangelium vixit: non erubuit talis ac tantus Chriſti diſcipulus, non ſimulavit, non dimidiavit, non deſeruit; ſed audacter, ſed ſincerè, ſed integrè, ſed conſtanter ad finem uſquè ſecutus eſt. Pingere amabat bonus diſcipulus, Magiſtrum optimum, fuit enim pictor magis ſcientiâ, quàm profeſſione; pictoriam artem, quod viri etiam nobiles interdùm faciunt,

Diſcipulum verò Chriſti non tam facit, ſpeculatio quàm plena & perfecta imitatio.

honeſtæ exercitationis gratiâ exercens; ſed Chriſtum in ſe ipſo Lucas, longè quàm in tabellâ fideliùs exprimebat; nam tabella quidem lineamenta vultus & faciem Chriſti dumtaxat exteriorem; ipſe verò intimos Chriſti ſenſus, affectus, & motus omnes ad vivum effingebat; illud Pauli identidem uſurpans: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.*

Secunda. Conjectura quòd Lucas fuit Mariæ cliens addictiſſimus.

Altera conjectura eſt, quòd Lucas fuit Mariæ cliens addictiſſimus: Nam Maria duos præſertim Diſcipulos Joannem & Lucam, utrumque Evangeliſtam, utrumque Virginem Virgo dilexit; unum donatione, & commendatione Chriſti: *Mulier ecce Filius tuus:* Alterum ſuapte ſponte, & propriâ voluntate: utrum autem plus amaverit, myſterium amoris eſt nobis impervium: videtur tamen, cum bonâ veniâ Joannis dictum ſit, videtur Maria Lucam amaſſe teneriùs; tum quòd in ea quæ à nobis ſunt propenſiùs ferimur quàm quæ nobis aliundè proveniunt; tum quòd matribus plus ferè placent minimi, quàm majores; tum demquè quòd Joannem Maria in oculis Chriſti expirantis & in ſummâ amaritudine animæ ſuæ, veluti doloris filium adoptaverit; ei verò Lucas in die lætitiæ, poſt Chriſti redivivi triumphum commodiùs ſupervenit, ut riſum matri faceret, & materni amoris blanditias obtineret. De Joanne ſcriptum eſt: *Hic eſt diſcipulus, quem diligebat Jeſus.* De Luca ſcribi potuit: *Hic eſt diſcipulus, quem Maria diligebat:* Joannes ſupra pectus Domini in Cœnâ recubuit, de ſacro pectoris fonte affatim hauriens, & *quòd in ſecreto bibit*, inquit, Auguſtinus, *in manifeſto eructavit:* Lucam verò noſtrum quis

*Joan.* 19. DuosChriſti diſcipulos Maria dilexit Ioannem & Lucam ſed Lucam ut videtur teneriùs quàm Ioannem.

*Ioan. c.* 21.

*Tract.* 31. *in Ioan.*

quis non crederet in ſinu almæ Matris blandè quieviſſe, cui ſecreta ſuffuraretur : nam quæ fuit utriuſque familiaritas, nihil hæc ſecreti habuit, quod ille neſciret. Ita eſt, Fratres dilectiſſimi, aperuit Virgo Mater dilecto Evangeliſtæ *tabulas*, ut ita dicam, *Matrimoniales*, & ſponſæ prærogativas ; aperuit privatam Angeli ſalutationem, trepidationem ſuam ; Spiritus Sancti Divinos amores, cæleſtéſque illapſus ; faſtidia prægnantis uteri ; Joſephi ſuſpicionem, nocturnum in ſtabulo puerperium, Chriſti pannos, & vagitus infantiles, aliáque, ut cum Tertulliano loquamur, *Aſſumptæ carnis & mortalitatis noſtræ originalia inſtrumenta*, adeo ut, quæ fœminæ pudor & modeſtia dicere vetabat, Virgini ſolus Lucas extorſerit : O verè Beatum Evangeliſtam! quem ſic diligebat Maria, ut in eum ſe tota effunderet : O verè Beatum! qui ſic Mariam diligebat, ut totus Mariam ſpiraret : nam Lucas, ut Bernardi verbis utamur, Mariam habebat in oculis, Mariam in ore, Mariam in corde, Mariam in manu : cùm enim propter longas peregrinationes à Mariâ diſcedere cogeretur, Mariæ circumferebat imaginem ; tum ut Mariæ abſentiam pictura ſolaretur ; tum ut Gentilibus, qui Mariam non viderant, utcumque Mariam oſtentaret. Stet ergo, Fratres, conſtans & indubitata traditio, Lucam, & Mariæ clientem fuiſſe dilectiſſimum, & Mariæ præcipuum dilectorem. Sed quid indè conficitur? Omninò id quod volo. Lucam Evangelium plenè vixiſſe ; iſte enim Mariæ amor, perfectam cum Chriſto ſimilitudinem aut invenit, aut fecit ; Deipara enim ita amat unigenitum ſuum, ut nihil amet niſi ip-

Fuit enim Mariæ à ſecretis.

*De carne Chriſti.*

Nec minùs Mariam diligebat quàm diligeretur à Mariâ.

Iſte autem Mariæ amor perfectam cũ Chriſto ſimilitudinẽ aut invenit aut fecit.

ſum, & ipſum amet in omnibus. Mariæ tota cauſa amandi eſt ſimilitudo cum Chriſto: quoſcumque amat, ſimiles Chriſto aut invenit, aut facit; quare Lucam noſtrum cùm tantopere amaverit, eumdem neceſſe eſt, ut Chriſto aut invenerit ſimilem, aut fecerit: quid eſt autem eſſe ſimilem Chriſto, niſi Evangelium plenè vivere.

Tertia Conjectura quòd fuerit Lucas ordinatus comes peregrinationis Pauli, ubi attendit r & à quo.

Tertia conjectura eſt, quòd fuerit Lucas ordinatus comes peregrinationis Pauli, ut Paulus ipſe teſtatur. 1*. ad Corinth. cap. 4. Quæ conjectura ut appareat quanti ſit ponderis; attendite, Auditores, & à quo, & cujus comes, & quorſùm fuerit Lucas ordinatus; nempè ab omnibus Eccleſiis Pauli comes ordinatus eſt: de ſenſu igitur omnium Eccleſiarum idoneus Evangelii miniſter reputatus eſt; non eſt autem idoneus Evangelii miniſter, qui Evangelium plenè non vivit.

Et cujus comes.

Ordinatus eſt Pauli comes ab omnibus Eccleſiis; ergo de omnium Eccleſiarum ſenſu dignus habitus eſt, qui Paulo Apoſtolo ſociaretur. Poſtulabat autem iſthæc ſocietas communionem quandam conſiliorum, conſpirationem voluntatum, uniformitatem actionis, & quamdam meriti æqualitatem, ne ſi forent adeò diſpares aut diſcordes, unus eſſet ædificans, alter deſtruens; aut, quod prohibet Scriptura, *In bove & aſino* araretur; aut ſi non æquis paſſibus ambo incederent, brevi diſſociari ambos oporteret. Audiſtis, opinor Fratres, audiſtis, Paulus Apoſtolus quàm fuerit perſpicax hominum cognitor, & ſeverus æſtimator. Qualem igitur & quantum eſſe oportuit Lucam noſtrum, qui tamdiu Paulo probari potuit & placere. Revocate, amabo, ſeverum Pauli judicium de Joanne, qui cognominatur Marcus: hunc, cùm fortè non ſatis ad normam

*Deuteron.* 22.

*Act.* 15.

Evangelii exactè viveret, voluit ſine morâ Paulus è ſocietate pellere, quòd ſcilicet Evangelii miniſtros irreprehenſibiles eſſe vellet: ſed voluit eumdem Barnabas ſpe futuræ emendationis aliquamdiu retinere; hinc magna contentio inter Apoſtolos orta eſt, eòque tandem res venit, ut à ſe invicem diſceſſerint, ſalvo tamen vinculò charitatis ambos etiam diſſitos connectentis: Deò nimirùm ſic providente; tùm ut intelligeret poſteritas ſanctos etiam viros abundare in ſuò ſenſu, committi aliquandò invicem, & bellum facere utrimque juſtum; tum ut Apoſtolis in varias partes abeuntibus Evangelium Chriſti latiùs diſſeminaretur. Quidquid id eſt, ex hoc ſeverò Pauli judicio, colligite quid Lucæ noſtro futurum fuiſſet, ſi non eum probaſſet Paulus operarium, ut ipſe loquitur, *irreprehenſibilem & inconfuſibilem.* Quorsùm Lucas Pauli comes ordinatus eſt? Non mihi, ſed Paulo credite cauſam mirabilem afferenti: *Ne quis*, inquit, *nos vituperet in hâc plenitudine.* Habebat Paulus magnam pecuniæ vim in uſus pauperum colligendam; quarè, ut ſermones hominum & ſuſpicionem avaritiæ vitaret, Lucam collectorem pecuniæ & diſpenſatorem eſſe voluit; O ſuperi! ſi Paulus ſuis ipſe manibus pecuniam diſpenſaret, veniret in ſuſpicionem Pauli fides, in ſuſpicionem non venit, ſi Lucæ manibus diſpenſet: quaſi manus Lucæ, Pauli manibus puriores eſſe viderentur! *Ne quis*, inquit, *nos vituperet in hâc plenitudine:* videte, Auditores, quàm boni nominis Lucas fuerit, cujus ſe nomine Paulus ipſe defendit.

2. *Ad Tim.* c. 2.

Et quorsùm fuerit ordinatus.

2. *Ad Cor.* 8.

Demonſtravi hactenus vehementibus conjecturis, quàm plenè Lucas noſter Evangelium vixe-

rit, idque meo judicio luculentiùs, quàm ſi per ſingula Lucæ acta excurriſſem : demonſtrare nunc habeo, quàm plenè Evangelium prædicarit; & hæc eſt Evangeliſtæ noſtri altera laus.

Secunda pars. Quo fundamēto dicatur Paulus Evangelium pleniſſimè prædicaſſe. Unum fundamentum eſt in Pauli teſtimonio, & commēdatione.

Verſamur etiamnùm in conjecturis : nam neque nos Lucam prædicantem audivimus, neque prædicationum Lucæ fragmenta ad nos ulla pervenerunt. Quo igitur fundamento Lucam uti magnum Evangelii prædicatorem commendemus. Fundamentum, ut mihi quidem videtur, ſatis magnum eſt in his Pauli verbis : *Miſimus fratrem noſtrum cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias :* Nam ſatis conſtat eo loco deſignari Lucam, & commendari eumdem non à ſcriptione tantùm, ſed etiam à Prædicatione Evangelii, ut fatentur omnes Interpretes : ſtemus ergo, Fratres, judicio Pauli : noverat ille magnos Evangelii miniſtros, Apollo noverat, noverat Cepham, noverat alios miniſterio verbi inſignes viros, quos Corinthus admirabunda ſequebatur; unum tamen Lucam commendat, quaſi Lucas prædicaret unus, aut unus inter omnes prædicando excelleret : id quod putabat Paulus adeò notum omnibus, ut ne proprio quidem nomine Lucam deſignarit; ſed ſatis habuerit dicere : *Miſimus fratrem noſtrum cujus laus eſt in Evangelio*; probè ſciens eâ ſolùm notâ Lucam veluti digito indicari. Accedit alterum fundamentum ex ſequentibus Pauli verbis. *Qui & ordinatus eſt comes peregrinationis noſtræ* : nam hinc ſequitur fuiſſe Lucam, & auditorem Pauli aſſiduum, & in prædicatione collegam, ejuſdémque interpretem & Oratorem. Quanti autem præſidii erat ad munus prædicationis ritè ob-

Alterum In Pauli ejuſdem ſocietate & conſuetudine.

eundum habere ob oculos Paulum prædicantem, quod erat Auguſtino ſumma votorum: qualem & quantum fuiſſe credibile eſt non indignum Paulo Collegam, qui propè ad Paulum accederet: qualem & quantum, cujus ore & verbis Paulus loqueretur; Apoſtolus enim cùm Græcam linguam parùm calleret, emendatore Sermonis Lucâ, & quaſi Oratore utebatur: Atque ut olim Moſes impeditioris linguæ, & labiis incircumciſus, ad Sermonis officium Fratris Aaronis operam adhibebat; ita & Paulus Græcæ linguæ ignarus operam Lucæ; adeo, ut Lucas in Paulo, & Paulus in Luca, nec jam duo ſed unus prædicare videretur. Hæc ferè ſunt quæ Lucæ noſtro laudem Evangelii plenè prædicati omninò aſſerunt, ſed ea laus quàm magna ſit; ut clarè appareat, inquiramus obiter quid ſit plenè prædicare Evangelium Chriſti, erit enim inquiſitio opportuna tempori & loco: verſamur enim in ſcholâ quadam Evangelicâ, & apud eos quibus prædicàtionis munus ſanctiſſimè obitum illuſtre *Prædicatorum* nomen obtinuit.

*Exod.* 4.

Sed quanta Lucæ laus eſt Evangelium plenè prædicaſſe.

*In Eccleſia ſancti Dominici.*

Quatuor pertinere videntur ad plenam Evangelii prædicationem. Materia quæ prædicatur, forma prædicandi, numerus & conditio audientium, fructus prædicationis, & fœcunditas. Ex materiâ quidem habet prædicatio ut plena ſit; ſi nihil falſum, nihil inane, nihil alienum, ſed purum ſolidúmque Evangelium Orator annuntians, nihil ad ſalutem utile prætermittat: quod omninò cavebat Lucas, cum Paulo ſæpè conteſtatus; *vos ſcitis, quomodo nihil ſubtraxerim utilium: non enim ſubterfugi quominus annuntiarem, omne conſilium Dei vobis:* Sed quàm ſu-

Patet ex iis quæ ad plenam Evangelii prædicationem pertinent, ſunt autem omninò quatuor.

Primò. Materia prædicationis.

Quam Lu-

ças tracta-ret. *Act.* 20. mus nos Lucæ noſtro diſſimiles ! quàm vani & vacui Prædicatores ! adulteramus Verbum Dei, gratiam Evangelii evacuamus, falſa, inania, ſubtilia, ad ſolam oſtentationem compoſita paſſim venditamus, veritatibus Evangelicis deliria noſtra ſupponimus.

Secundò. Forma prę-dicandi. Ex formâ prædicandi habet prædicatio ut plena ſit, ſi omnem perſuaſionis modum Orator Chriſtianus adhibeat : perſuadetur autem verbis idoneis; perſuadetur, ut indicat Paulus, *oſtenſione Spiritus* ; perſuadetur *oſtenſione virtutis* ; perſuadetur bonis officiis : atqui nihil horum Lucas prætermiſit : adhibuit idonea verba, Græcis enim litteris apprimè eruditus materiam Evangelicam alioqui ſatis aſperam Græcum in morem, non molliter aut effœminatè, honeſtè tamen & decorè veſtiebat ; adhibuit *oſtenſionem Spiritus*, nam, ut illi, non minùs quàm Apoſtolis in ſpecie linguæ igneæ Spiritus Divinus inſederat, totus lucem & ignem dicendo ſpirabat : adhibuit *oſtenſionem virtutis*, quæcumque diceret ſignorum virtute tamquam Dei ſigillo muniens, & erant Paralytici ambulantes, exilientes claudi, ægri valentes ; Argumenta Lucæ patentia & *currentia ſuper terram* : adhibuit officiorum vim, chariſſimus medicus, & magnus Pauli Eleemoſinarius : nam medicus dicitur, non quòd medicinam quæſtuoſam profiteretur ; illam enim in miniſterium Evangelii aſſumptus deſeruerat ; ſed quòd Evangelici præcepti memor, *Curate infirmos*, totum ſe liberaliter ægrotis impenderet, & curatione corporum, animis quoque mederetur. Nec ſolùm ægris medicus, ſed pauperibus etiam ſubveniebat, collectarum fidelis diſpenſator ; utrumque pa-

[Margin notes: 1. *Ad Cor.* c. 2. — Quam adhiberet Lucas. — *Luc.* 10.]

nem ſpiritalem ſimul & corporeum parvulis frangens; ut, quod verbo tentaverat, boni officii victrice eloquentiâ obtineret. O! ſi talem prædicandi formam prædicatores noſtri ſequerentur; non tot jejunos, non tot frigidos, non tot ineptos haberemus: ſed ubi nunc ſermo ille Dei *vivus & efficax penetrabilior omni gladio ancipiti?* ubi igneus ille vigor dicentium? ubi ſigna Sermonem confirmantia? ubi victrix illecebra officiorum: tota res nunc agitur verbis mollibus, actione effœminatâ, manibus vacuis, quid mirum, ſi nihil agatur. Ex numero item & conditione audientium habet prædicatio ut plena ſit; ſi nullum à prædicatione Orator excipiat; ſed ſe omnibus debitorem verbi agnoſcens, omnibus generatim ſine ullâ perſonarum acceptione diſpenſet, uti diſpenſabat Lucas; non Judæum aut Græcum, non Romanum aut Barbarum, non puſillum aut magnum diſtinguens: *Non enim eſt*, ajebat ille, cum Paulo, *diſtinctio Judæi & Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Ab eâ verò amplitudine Evangeliſtæ noſtri quàm procul abſunt delicati & faſtidioſi nimis noſtrorum temporum Apoſtoli: Primas Cathedras amant in Synagogis, humiles dedignantur; in Senatu, magnis in urbibus, in aulis Principum audiri ambiunt; at in oppidulis, in pagis, inter pueros ruſticóſque verſari, aut, quòd ajunt, ruſticari non placet. O magnos! ô plenos! ô Evangelici pectoris Oratores! quos vel una morabitur monialium craticula, & tres quatuórve mulierculæ occupabunt; ô verè Filios Patrum quibus mundus integer ſatis non erat! ô ſucceſſores Apoſtolorum

*Ad Hebr. c. 4.*

Tertiò. Numerus & conditio audientium.

Quibus prædicaret Lucas.

*Ad Rom. 10.*

de quibus ſcriptum eſt. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Quartò. Prædicationis fructus

Ex fructu deniquè habet prædicatio ut plena ſit, ſi fructum plenum habeat : fructus autem iſte non vano plauſu audientium, ſed ſolidâ morum mutatione æſtimandus eſt.

Quem habuerit Lucæ prædicatio.

Quàm exiguus igitur & penè nullus eſt hodiernarum prædicationum fructus, quàm vacuum ad nos verbum Dei revertitur : pugnatur ferè in incertum, verberatur aër, pulſantur aures, titillantur, ſervitur audientium libidini, non ſaluti. Oratori plauditur, & poſt hæc, peractâ quaſi ſcenâ ad ſua quiſque diſcedit nihilò melior quàm venerat. Sed prædicationum Lucæ quantus fuerit fructus, ex hoc uno æſtimate, quòd ſocietatem cum Paulo inierat, communis erat amborum opera, communis labor, communis induſtria; debuit ergo eſſe amborum commune lucrum fructuſque communis; qui fructus, ut diutiùs maneret, immortalitati conſulens Evangeliſta, & providus ſator æternitatis, Evangelium quod pleniſſimè prædicaverat, pleniſſimè ſcripſit. Eſt hæc Evangeliſtæ noſtri poſtrema laus.

Tertia pars *cap.* I.

Quatuor animalium facies Symbola quatuor Evangeliſtarum. *Hom.* 3. *ſuper Ezech. Proph.*

Vidit olim Ezechiel animalia quatuor ad currum gloriæ Dei trahendum applicita; quibus animalibus conſentiunt Patres, quatuor Evangeliſtas ſignari : nam diverſæ illæ facies, facies hominis, facies Leonis, facies Bovis, facies Aquilæ, quid ſunt aliud quàm aut ſingulorum veſtibula Evangeliorum, aut proprii characteres Evangeliſtarum, *per faciem quippe unuſquiſque cognoſcitur*, ait Gregorius magnus.

Cur Lucam ſignet facies bovis.

At quamobrem, ut de cæteris taceam, facies bovis, Lucæ noſtri Symbolum eſt? an quia Lucas Evange-

lium exorditur à ſacrificio Zachariæ? bos autem animal eſt victimæ & ſacrificio natum: an quia præſertim in bove nativus eminet characterEvangeliſtæ? Cavete hîc, Fratres, nihil tardum, nihil lentum, nihil craſſum, nihil Lucâ indignum ſuſpicemini: ſed verum illius characterem accipite, plenitudinem ſcilicet Evangelii, & quamdam, ut ita dicam, ſcribendi ſaturitatem & pinguedinem; nam bos plenum eſt & pingue animal, cæteris expanſius; animal factum ad arva rimanda, terramque latentem aratro revelandam; animal ponderoſum, graviter & altè figens pedem, quocumque graditur. Quorsùm iſta valeant jam credo intelligitis; nimirùm ut ſignificetur Lucas Evangeliſtarum pleniſſimus, & ſupra cæteros, ſi fas eſt dicere, rerum divinarum myſteriis impinguatus: nam Lucas & plura quàm cæteri ſcribendo complexus eſt, & plùs lucis attulit ad revelationem myſteriorum, & quæcumque ſcripſit majoris cujuſdam authoritatis pondere firmavit, ampliorem materiam, luce ampliori, ampliori authoritate proſecutus eſt.

Proprius Lucæ caracter eſt plenitudo Evangelii.

Scribendi Evangelii cauſa, Lucæ noſtro duplex fuit. Prima, ut Ebionis, Cerinthi, aliorúmque Hæreticorum falſum Evangelium circumferentium mendacia refutaret. Altera, ut quæ veri Evangeliſtæ prætermiſiſſent ipſe ſuppleret: *Quoniam quidem*, inquit, *multi conati ſunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ ſunt rerum; viſum eſt & mihi aſſecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile, ut cognoſcas eorum verborum de quibus eruditus es veritatem.* Abundè præſtitit, quod ſe facturum

Nam & plura quàm cæteri ſcribẽdo complexus eſt.

*Luc in prol. Evang.*

recepit; nec modò conatus eſt plenum ut cæteri Evangelium ſcribere, ſed plenum reipſâ Evangelium ſcripſit: ille enim & primordia præcurſoris, & Mariæ ſponſalia, & infantiam Chriſti, & Spiritus Sancti illapſum in Diſcipulos, & Eccleſiæ inſtitutionem, & prædicationem Apoſtolorum, & promulgationem Evangelii per univerſum orbem duobus libris comprehendit, quorum unus *Evangelium Jeſu Chriſti*, alter *Acta Apoſtolorum* inſcribitur: adeò ut à Patribus, non tantùm Chriſti Evangeliſta, ſed etiam Evangeliſta præcurſoris, Evangeliſta Mariæ, Evangeliſta ſancti Spiritus, Evangeliſta Apoſtolorum, Evangeliſta Eccleſiæ appellari meruerit. Qualia autem & quanta ſint quæ à cæteris prætermiſſa Lucas adjecit, juvat uno intuitu contemplari ad laudem magni Evangeliſtæ à quo illa accepimus. Contemplemur igitur, fratres, ad gloriam Chriſti præmonſtrandam, quale & quantum ſit exhiberi ſtupenda initia Præcurſoris, de
Luc 3. quo ſcriptum eſt: *Ecce ego mitto Angelum meum qui præparabit viam tuam ante te?* Quantum ad humilitatis Chriſtianæ perſuaſionem, repræſentare humilem pauperémque infantiam Salvatoris, privatæ vitæ tenebras, labores, exercitationes, totoſque octodecim annos hoc uno verſiculo expreſſos: *Et erat ſubditus illis?* Quantum ad fidem Doctrinæ Evangelicæ conciliandam, Spiritum illum veritatis, uti Chriſtus promiſe-
Act. 2. rat, tanto miraculorum fragore deſcendere, timidos & elingues piſcatores prodire jam in medium, Spiritu ebrios, atque ſuperbam Civita-
Act. 7. tem ſuâ prædicatione commovere? Quantum ad primitias Martyrum dedicandas, inter lapidan-

tium manus ſtare infractum Stephanum, & pro grandine lapidum, quibus obruitur, bona verba & officia bona retorquere? contemplemini, Fratres, quale & quantum ſpectaculum ad omnipotentis gratiæ triumphum, ſubita illa converſio de Saulo in Paulum, de Lupo in Agnum, de Perſecutore in Apoſtolum? Quantum ad explicandam Divinæ charitatis amplitudinem, expandi mirabile illud linteum, omne animantium genus complectens, & audire exclamantem Petrum: *In veritate comperi quia non eſt perſonarum acceptor Deus?* Quantum ad habendam Conciliorum Generalium formam, videre Apoſtolos Hieroſolymis coactos in materiâ Circumciſionis & legalium, rémque totam de Petri ſententiâ definientes, hâc audaci formulâ: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis?* contemplamini quantum ſit ad gloriam Fidei, audire Paulum in Areopago diſputantem de Reſurrectione mortuorum, ſtupentibus ad Apoſtoli ſapientiam Areopagitis? quantùm audire Religionem Chriſti Romanis arcibus illatam; ut quæ urbs Magiſtra fuerat erroris, fieret diſcipula veritatis? atqui hæc omnia qualia & quanta ſunt, beatiſſime Luca, tu nobis ſpectacula feciſti. O quot & quàm divina verba excidiſſent, niſi tu excepiſſes! ô quot & quàm heroica virtutum exempla avolaſſent, niſi tu fugientia tenuiſſes! ô quot & quàm illuſtria Apoſtolorum facta oblivione ſepulta jacerent, niſi tu excitaſſes! Tu nobis veri & puri Chriſtianiſmi formam expreſſiſti: felix ille calamus tuus! cujus ductu venerandæ priorum temporum reliquiæ ad nos uſquè venerunt: Beata illa manus tua! quæ tam pretioſa antiquitatis momumenta

*Act.* 9.
*Act.* 10.
*Act.* 15.
*Act.* 17.
*Act.* 28.

penè jam naufraga, naufragio opportunè ſubduxit.

Et plus Lucis attulit ad revelationem myſteriorum.

Diximus Lucam plura cæteris ſcribendo complexum eſſe: dicamus eumdem iis quæ ſcripſit plùs lucis attuliſſe; ſive ordinatiùs rerum narrationem diſpoſuit; eſt enim ferè ordo Hiſtoriæ lux; ſive ea latè explicuit, quæ cæteri contraxerant; nam obſcuritatis parens eſt nimia brevitas; ſive demùm in ipſa rerum adyta, & profunda myſteriorum penitiùs intravit, quæ cæteri procul aſpectantes, & religioſo ſilentio venerati ſubire timuerant: nam cæteri ferè Evangeliſtæ faciem rerum exteriorem dumtaxat monſtrarunt, ea notantes quæ vulgus ipſum non latebant; at verò Lucas noſter in conclave, ut ita dicam, admiſſus, & ſecretorum particeps, ea quæ nemo ferè hominum viderat vulgo aperuit. Solus erat Zacharias horâ incenſi cùm ei Gabriel conceptum Joannis annuntiavit; ſolus item cùm Angeli dictis fidem negans vocis & linguæ uſum amiſit; ſed hæc ſanctuarii ſecreta Lucam noſtrum non latuerunt: Privata Mariæ & Elizabeth colloquia quis audiverat? quis Joannem ſenſerat in utero exilientem? quis Deiparæ aderat, ut divinum illius Canticum exciperet? hæc inaudita vulgo erant, & hæc inaudita Lucas vulgavit: ſola agebat ſine teſte, ſine comite Maria cùm ad eam Angelus ingreſſus eſt; nemo viderat Virginem trepidantem; nemo ſalutantem Angelum audiverat; nemo Mariæ conſenſum teſtis exceperat; Solus Lucas tanti myſterii conſcius ſingula verbatim & ſingulatim retulit, quaſi ipſe vidiſſet, audiviſſet, excepiſſet. Novam illam virginitatis cum fœcunditate ſocietatem,

*Luc* 1.

nemo hominum fuerat odoratus; ne Joſephus quidem intellexerat, Mariam repudiare volens, ex uteri prægnantis calumniâ adulteram ſuſpicatus; Lucas tamen myſterium intellexit, Lucas aperuit. *Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet*, peperit Maria in obſcuro ſtabulo Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit; ſed noctis umbras, obſcuritatem ſtabuli, & pannorum involucra lux Evangeliſtæ penetravit: ô verè Evangeliſtam nominis ſui! ô Lucam! ô Lucium! ô lucidum authorem, amictum lumine ſicut veſtimento, veſtigantem omnia, omnia detegentem, quidquid tetigerit colluſtrantem. *Multifariam multiſque modis* locutus eſt Deus, in nube obſcurè, in rubo aſperè, in monte ſublimiter, in tonitru magnificè; ſed nuſquàm ſplendidiùs, quàm in Lucâ locutus eſt: diceres in Lucâ ut in ſole poſuiſſe tabernaculum ſuum, undè pro oraculis radios circumquaque diffunderet. *Luc.* 2.

Tanto autem ſplendori ſi authoritatem & pondus addideris, ad conſummati ſcriptoris laudem nihil omninò defuerit. Atqui Lucas non modò plura, aut ampliori luce ſcripſit, quàm cæteri; ſed quæ ſcripſit ampliore quâdam authoritate ſignavit. Cum cæteris quidem Evangeliſtis commune hoc habet, quòd author Canonicus eſt, quâ laude duo quædam ſumma jam obtinet: primum, ut ſit extra omnis erroris aut mendacii ſuſpicionem; alterum, ut nullus ſit ſenſus Lucæ verbis expreſſus, qui non idem Divinus ſit, & à Spiritu Sancto intentus. Sed hæc cum cæteris; quid ſupra cæteros

Et quæ ſcripſit amplio re quâdam authoritate ſignavit.

Duplex in authore Canonico authoritas humana & Divina.

habeat audite. Duplex in authore Canonicò ſpectari poteſt authoritas, humana ſcilicet & Divina; nec difficile captu eſt plùs habuiſſe Lucam authoritatis humanæ quàm cæteros, cùm fuerit Evangeliſtarum doctiſſimus, ſæcularibus litteris egregiè eruditus, Philoſophiâ excultiſſimus; hinc enim fiebat, & ad veſtigandum ſagacior, & ad credendum moroſior, & ad judicandum ſapientior. Notate verò hîc obiter & miramini, fratres, conſilium Dei; quòd primis illis temporibus, cùm Philoſophi ferè magiſtri erroris eſſent & *Patriarchæ Hæreticorum*, ut eos appellat Tertullianus, Philoſophum unum, veritatis Magiſtrum, & Catholicorum Patriarcham eſſe voluerit: cùm Medici item, neſcio quo artis vitio, ſatis increduli ſint, naturæ omnia, nihil Deo tribuentes; Medicum unum Doctorem fidei, & credentium Patrem inſtituerit. Sed Divinæ authoritatis, quomodo plùs inſit in Lucâ, quàm in cæteris Evangeliſtis, cùm ſumma ſit authoritas ſingulorum, non ſtatim apparet; faciam tamen ut appareat, ſi me auditis. Triplici viâ haberi poteſt librum aliquem Divinum eſſe; viâ ſcripturæ, cùm unus ſcripturæ liber alteri ſuffragatur; viâ Traditionis numquam interruptæ & ab Apoſtolis ad noſtra tempora continuatæ; viâ Eccleſiæ librum aliquem pro Canonico recipientis. Dico autem librum Canonicum eò plus habere authoritatis, quò pluribus ſuffragiis conſtat eſſe Divinum: atqui Evangelium Lucæ conſtat pluribus ſuffragiis Divinum eſſe; nam cæteri quidem Evangeliſtæ Traditionis, & Eccleſiæ ſuffragium habent, ſed ſuffragium ſcripturæ non habent; Lucas verò noſter & Eccle-

Humanæ quidem authoritatis plus habuit Lucas quàm cæteri.

Sed Divinæ authoritatis quomodo plus habeat difficile eſt.

Habet tamen, quatenus Evangelium Lucæ pluribus ſuffragiis conſtat eſſe Divinum.

Nam Evãgelio Lucæ non traditio ſolùm aut Eccleſia ſuffragatur

ſiam, & Traditionem, & ſcripturam ſuffragantem habet: Paulus enim in ſuis Epiſtolis Canonicis Evangelium Lucæ ita commendat, ut ſuum etiam Evangelium appellet; ſeu quia illo utebatur ut ſuo; ſeu quia in eo ſcribendo, communem cum Lucâ operam contulerat: habet ergo Evangelium Lucæ plùs aliquid cæteris, plùs materiæ, plùs lucis, plùs authoritatis.

ſed ipſa etiã ſcriptura quæ non ſuffragatur aliis.

*2. ad Timoth. c. 2.*

Quid ſupereſt, Fratres, niſi ut Evangelium Lucæ magni faciamus pro merito ſuo, circumferamus illud nobiſcum, & in illo ſcrutando toti ſimus; nam ſi, ut pulchrè Chryſoſtomus, *Qui metalla fodiunt, ne minima quidem fruſtula prætereunt; ſed ubi nacti fuerint aliquam auri venam, meatus omnes diligenter circumſpiciunt: Quantò diligentiores nos eſſe oportet in venâ Evangelii ſequendâ, ubi ſe ſtatim aperit purum aurum, & gemma ſplendens æternæ veritatis.*

Evangeliũ ergo Lucæ magni faciendũ eſt.

*Homil. 40. in Ioan.*

Quid ſupereſt, Academiæ Patres venerandi, niſi ut magnum Academiæ Evangeliſtam imitemur, omnem Evangelizandi modum ſequentes, ut ille ſecutus eſt: Evangelizemus exemplo, Evangelizemus verbo, Evangelizemus ſcripto. Evangelizemus exemplo; vivamus Evangelium ut ille vixit; ſed plenè, hoc eſt, ſine rubore, ſine hypocriſi, ſine exceptione, ſine intermiſſione vivamus. Evangelizemus verbo, & quantùm ſors noſtra tulerit, Evangelium prædicemus, ut ille prædicavit, ſed plenè, hoc eſt, ſolidè, ornatè, liberaliter, & fructuosè prædicemus. Evangelizemus ſcripto; ſcribamus & nos quantùm Dominus dederit, ut ille ſcripſit; conemur augere hæreditatem Patrum; conferamus

Et Lucas venerandis Academiæ Patribus imitandus.

aliquid de noſtro in communem theſaurum; addamus inventis veterum novam lucem; & ſi nihil novi ſcribimus, novo ſaltem modo ſcribamus. Hæc veſtra ſunt, Patres Academiæ Venerandi, quæ jam pridem cumulatè feciſtis; nam ad vos cùm Oratio mea vertitur, non hortatoris mihi partes aſſumo, ſed laudatoris. O quàm lubens à Magno Academiæ Evangeliſtâ, ad ipſam Academiam digrederer! ſed eſt alterius loci iſta laudatio, mihi fortè honeſtius erit pro almâ Academiâ vota facere, & ſingulorum ordinum Anteceſſoribus plurimam ſalutem Lucæ nomine impertiri his Pauli verbis; *Salutat vos Lucas medicus cariſſimus.*

*Ad Coloſſ.* 4.

Ad rectorem Academiæ Dadinum Altaſerram ſcriptis ſuis totâ Galliâ famoſum.

Nam tibi quidem, Rector Academiæ ſapientiſſime, votis omnibus ſervari velim vegetam illam ſenectutem tuam, non tam annorum, quàm grandium meritorum numero ac pondere computandam. Tu enim nobis quale & quantum prodigium factus es, cui nec corpus annis deteritur, nec librorum partu fœcundum ingenium exhauritur; ſed longævam vitam longior adhuc & nunquam moritura fama excipiet: vivent immortales libri tui, Cathedram olim tuam occupabunt, & pro te ſedebunt, quaſi Vicarii Anteceſſores; vivet in æternum magnum Altaſerræ nomen, & Toloſanam Academiam etiam cùm te ſubtraxeris illuſtrare pergent, longi Crepuſculi inſtar ſolem Occidentem ſequentis.

Ad Theologiæ profeſſores.

Vos verò Theologiæ lumina, Evangelicæ Doctrinæ cuſtodes, Evangelicam ſalutem quam Lucas liberaliter mittit, accipite. Suum ille Evangelium cùm inſcribit Theophilo,

Theophilo, vobis ſingulis inſcribit; unuſquiſque enim veſtrûm optimus eſt Theophilus, ea quæ Dei ſunt non loquens modo, ſed ſapiens. Durate magni fidei defenſores, & voſmet Religioni ſervate, digna ſoboles Patrum quos Ludovicus ſanctus Academiæ Toloſanæ Regius Fundator, Albienſium errori oppoſuit, digni & ipſi quos Ludovicus Magnus ejuſdem Academiæ amplificator, noſtrorum temporum Novatoribus opponeret. Secura erit Toloſæ fides, Auguſto Senatu illam aſſerente, vobiſque tam bonum depoſitum cuſtodientibus. Nec vos parte ſalutis fraudabit æquiſſimus Evangeliſta, vos, inquam, Juris Antiſtites & Sacerdotes, meritò annumerandi Accurſiis, Majoretis, Maranis, Cujaciis, aliiſque Toloſæ luminibus, quorum & genus eſtis, & nomen locumque tam dignè impletis: vivite diu magni viri, & facite, quod hactenùs feciſtis, ut vita veſtra æqui rectique norma ſit, & publica juris diſplicina. Sed quos chariùs ſalutet chariſſimus Medicus quàm Medicos ſuos: vos ergo vitæ noſtræ arbitri & ſervatores, propter meritum magis quàm propter neceſſitatem honorandi, vivite ipſi, qui tam ſtudiosè facitis ut vivamus: cavete, amabo, ne dum alienæ ſaluti ſtudetis, veſtram ipſi negligatis: ſalus enim veſtra, ſalus publica eſt. Et veſtri quoque memor erit, clariſſimi Philoſophiæ Anteceſſores, Lucas noſter & ipſe Philoſophus; vos enim, ut ille, non tam verbis quàm factis Philoſophi, Philoſophiam magis vivitis, quàm loquimini, ſæcularem illam & prophanam ſcientiam velut Ægyptiacam ſu-

Ad Profeſſores utriuſque juris.

Ad Medicinæ Profeſſores.

Ad Profeſſores liberalium artium.

pellectilem, tabernaculo, hoc eſt, Evangelio conſecrantes. Nec vos deniquè quot quot eſtis Academiæ alumni, Lucas noſter inſalutatos præteribit: & vobis, quod Medicorum proprium eſt, ſalutem non modo precabitur, ſed faciet, pro eâ quâ valet apud Deum gratiâ, ſingulis impetrans, ut ſtudia veſtra in honorem Academiæ, in bonum Reipublicæ, in laudem & gloriam Dei, veſtramque omnium ſalutem cedant feliciter.

Ad omnes Academiæ alumnos.

# DE SEBASTIANO MARTYRE ACADEMIÆ TOLOSANÆ Patrono:

## CONCIO ACADEMICA, In quâ apparet quò pertineat Academiarum inſtitutio.

*Gaudium meum & corona mea , ſic ſtate in Domino chariſſimi*: Paul ad Philip. c:4.

AUDIRE mihi videor, Patres Academiæ venerandi, noſtrum de Cœlo Sebaſtianum, iiſdem vos hodiè verbis magnificè compellantem, quibus olim Doctor & Apoſtolus Gentium Paulus adhuc in terris agens, Chariſſimos filios, & alumnos ſuos blandè & paternè compellabat. *Gaudium meum & Corona mea ſic ſtate in Domino Chariſſimi*. *Ad Phil. c. 4.* Diceres, inquit Chryſoſtomus, *In cap. 4. Epiſt. Pauli ad Philipp.* excidiſſe Apoſtolo raptus ſui mirabiles Extaſes, viſiones & revelationes Domini, Cæ-

leſtem Converſationem & divina illa gaudia, tam exquiſita Apoſtolicorum laborum condimenta. Diceres bonum Patrem oblitum ſui, & amore filiorum Ebrium, cum alumnis ſuis malle, quàm cum ipſis Angelis verſari. Diceres parùm eſſe Paulo, & glorià præcipui Apoſtolatus, & ſplendore inſignium miraculorum, & Doctoris Gentium titulo coronari; multiplicem enim illam Coronam abjiciens ſuis ſe Philippenſibus unis coronat, unos illos ajens materiam eſſe honoris & gaudii ſui, unos pro Coronâ oſtentans. *Gaudium*, inquit, *meum & Corona mea ſic ſtate in Domino Chariſſimi.* Dicam ego, Patres Academiæ venerandi, dicam pariter, invictiſſimo Martyri Sebaſtiano excidiſſe ferè veterum certáminum & triumphorum memoriam, ut veſtri meminerit. Parùm illi eſt Diocletiani Tyrannidem ſuperaſſe, Marcum & Marcellianúm nutantes in fide fratres confirmaſſe, Zoëm nobiliſſimam fœminam ad Chriſtum adduxiſſe, plùs aliquid videtur eſſe Sebaſtiano Academiam Toloſanam habere clientem, & quaſi parvi faceret *immarceſcibilem* illam gloriæ coronam, quâ Chriſtus ipſe ſuum Martyrem coronavit, ecce Academiam ambit & oſtentat pro coronâ, *gaudium meum & corona mea ſic ſtate in Domino chariſſimi.* Unus ergo idemque dies & Sebaſtiano, & Academiæ feſtus erit; nec tam hodiè Academia ſupplex ut olim, & ad pedes Sebaſtiani provoluta, quàm eodem curru ſublimis ipſumque Sebaſtiani caput in modum coronæ ambiens apparebit. Dignus eſt Academiâ Cliente Sebaſtianus, ſed digna eſt Sebaſtiano Patrono Academia, plurimùm laudis

*Ad Philip. c. 4.*

Argumentum concionis.

non diffiteor, in Academiam de Sebaſtiano deſcendit, ſed plurimùm quoque aſcendit de Academiâ in Sebaſtianum. Eſt enim Academia Toloſana pulcherrima Sebaſtiani Corona. Hæc eſt, Patres Academiæ venerandi, nova materia laudum Sebaſtiani, & hodiernæ Concionis, in quâ nobis Maria, ut ſpero, præſto erit, quæ Regina Martyrum eſt & mater Doctorum *amicta lumine ſicut veſtimento*, ipſoque ſole ſplendidè coronata.

Academia Toloſana, Pulcherrima Sebaſtiani Corona.

Obſcura ſatis & dubia res eſt, quo tandem proſpero fato, Academiæ Toloſanæ invictiſſimus Martyr Sebaſtianus Patronus obtigerit: Nam quod ajunt aliqui, Sebaſtianum omnes Academiæ facultates in ſe uno ita fuiſſe complexum, ut ſolus Academia integra videri poſſit, ſubtiliter magis, quàm ſolidè dicitur; reipſa enim Sebaſtianus, ſi qua Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ fides, nec Theologus, nec Juriſconſultus, nec Medicus, nec Philoſophus fuit; ſed artem militarem à teneris annis profeſſus, & per omnes militiæ gradus exercitatus, eò demùm venit, ut in exercitu Diocletiani primæ cohortis Dux fieret. Quare ſi ſolus *Academia* dicendus eſt Sebaſtianus, *Militaris* profectò *Academia* dicendus eſt, patrocinio Doctorum tantò, ut videtur, ineptior, quantò minùs cum Doctore miles congruit. Paulò veriſimilius eſt, quod aliis placet; cùm Sebaſtianus præcipuâ quadam virtute polleat ad peſtem ſubitò compeſcendam, ejuſque præſentiſſimum in eo genere præſidium Toloſa experta ſit; Capitolini proceres, quorum eſt ſaluti publicæ invigilare, Sebaſtianum in Patronum Urbis & publicum Toloſæ conſervatorem aſciverunt: quo exemplo

Quo tandè fato Academiæ Toloſanæ Patronus obtigerit Sebaſtianus ſatis obſcurum eſt.

Patrocinii illius & clientelæ cauſa inveſtigatur.

Academia Capitolii æmula, ut ipſa pro ſuâ parte animorum ſaluti provideret, contra ſpiritualem & periculoſiorem peſtem, ſeu erroris, ſeu pravi exempli contagione graſſantem, eumdem Sebaſtianum implorare voluit, ſapienter reputans invictiſſimo Martyri non minùs cordi eſſe curam animorum, quàm corporum. Sed cur cæteris Chriſtiani orbis Academiis non idem in mentem venit, quod Academiæ Toloſanæ? Cur hæc ſola Sebaſtianum Patronum habet, quæ tamen ſola Sebaſtiani patrocinio non indiget? Fortè aliquid, A A, fortè aliquid dedimus popularitati; eſt enim popularis ferè noſter Sebaſtianus, Narbone oriundus, eoque nomine Academiam Toloſanam, quæ Galliæ Narbonenſis Academia eſt, propiùs contingens. De Narbone paternum genus, de Mediolano maternum trahit Sebaſtianus, de Matre Italus, de Patre Gallus, de utroque noſter; Academia enim noſtra Juris Gallici eſt, & Romani, divinum opus & Gallorum Regum, & Pontificum Romanorum; de Mediolano fidem habens *Ambroſianam*, hoc eſt Catholicam; de Narbone Martio, invictam in fide tuendâ conſtantiam. Adderem ego, ſi liceret, Sebaſtiani fortè meritis & ſanguini donatam fuiſſe Academiam Toloſanam; nam ut olim primus Martyrum Stephanus inter ipſos lapidum crepitantium ictus Paulum Doctorem gentium Eccleſiæ obtinuit; ita omninò, ſi conjecturæ locus eſt, magnus æmulator Stephani Sebaſtianus, cùm gentis ſuæ tenebras, infidelitatem, & corruptos mores prævideret, totus ſagittis confixus, & manantibus undiquè ſanguinis rivis, à Deo impetravit novam Doctorum cohortem, quæ ali-

quandò, & ignorantiæ tenebras fugaret, & fidem Catholicam tueretur, & corruptos mores reformaret. Nihil igitur mirum eſt, ſi ſuæ ipſe Academiæ, ſeu ſuis precibus impetratæ, præfectus & Patronus acceſſit. Sed nihil opus habemus divinatione, conjecturas mittamus, iis tantùm quæ certa ſunt inhærentes. Quæcunque nobis ſors aut fortuna Sebaſtianum Patronum dederit, pulcherrima Sebaſtiani Corona eſt Academia Toloſana, Sebaſtiani genium eleganter exprimens,& ſplendidos æmulans caracteres; tota enim lucet Doctrinæ verbo, tota horret Cenſuræ ſpiculo, tota rubet ſanguinis exemplo. Sebaſtianum miramini totum ſplendidum Doctrinæ radiis quos diffundit, totum horridum ſpiculis quibus confixus eſt, totum deniquè ſanguine ſuo purpuratum. Quam bellè capiti congruit Corona Sebaſtiani Academia Toloſana, Corona, inquam, ſtellis contexta micantibus, ut luceat; ſpiculis horrida minacibus, ut terreat; vividæ charitatis ſanguine purpurata, ut animet. Clariùs loquamur, inſtituta eſt Academia Toloſana contra ignorantiam, contra infidelitatem, contra morum depravationem. Inſtituta in lumen populorum, in defenſionem fidei, in Chriſtiani orbis exemplum. Hæc tria ſi pro dignitate demonſtravero, unâ eâdemque manu, & Academiam Toloſanam Sebaſtiani Clientem, & Sebaſtianum Academiæ Patronum videbor mihi ſatis ſplendidè coronaſſe.

Quàm pulchrè Sebaſtiani caracteres exprimat Academia Toloſana.

Inſtituta in lumen populorum, in defenſionẽ fidei, in Chriſtiani orbis exemplum.

Non expectatis à me. Credo, A A, ut per *Innominatas* incertaſque *Genealogias* Originem Toloſæ ex Japeto, aut Japeti nepote deducam, indignum enim eſt Oratori ſério rebus incertis

Prima pars. Academia Toloſana inſtituta

& fabuloſis immorari: Aſſentior tamen, quod tacente me omnia monumenta clamant, Toloſam Academiæ noſtræ ſedem, urbem eſſe antiquiſſimam, à primis uſquè temporibus celebrem, adeòque populoſam; ut ei ſuperba & rerum Domina Roma ſcribere non dedignaretur in hæc verba, *Sorori noſtræ Toloſæ, & populo ſuo innumerabili ſalutem.* Non expectatis item, viri clariſſimi, ut in commendationem Academiæ Toloſanæ veterum Gallorum Doctrinam exagerem, eoſdemque & Græcis & Romanis titulo eruditionis anteponam; aſſentatoria enim iſta, & vana Theologum non decent. Agnoſco tamen lubens Toloſates, & Garumnios populos præcipuâ quâdam ingenii & induſtriæ laude inſignes ab ipſis Cæſarum temporibus liberales & humanas artes ſic excoluiſſe, ut jam tum Toloſa *Palladia* diceretur, & magni meriti loco eſſet Toloſæ docuiſſe. Cætera igitur quæ fabuloſa, quæ vana, quæ incerta ſunt prætermittens, convenientiùs meo muneri dicam, ignorantiam ex Adæ peccato in omne genus hominum longè latèque diffuſam ad gentem quoque noſtram pertinuiſſe, quæ & ipſa in Adamo peccaverat. Dicam communem ignorantiæ plagam, aut veteris illius peccati cicatricem, ſi fortè aliquandò fuerat obducta, novis in dies peccatis recruduiſſe, *pluit enim Dominus*, ut cum Auguſtino loquamur, *pluit & ſemper pluet pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates.* Dicam Toloſates Cæſarum temporibus liberalibus diſciplinis excultos ſenſim luxuriantium inſtar arborum nimiâ ſoli pinguedine degeneraſſe, *Neque enim* diu ſaltem *invenitur ſapientia in terrâ*

adverſus ignorantiā populorum.

Toloſa urbs antiquiſſima & à primis temporibus famoſa.

Toloſates & Garumnii populi ingenii & induſtriæ laude inſignes ipſâ ætate Cæſarum.

Senſim degenerarunt.

Cauſa ignorantiæ multiplex.

Iob. 28.

*ſuaviter viventium.* Dicam Provinciam noſtram excuſſo Romanorum jugo, abdicaſſe ſimul ſcientias à Romanis acceptas, & cùm libertatem recepit, litteras ferè perdidiſſe. Dicam irruentibus in Occitaniam Gothis, Alanis, Vandalis, aliiſque gentibus immanitate Barbaris, factam fuiſſe penè Barbaram Occitaniam. Denique, ex craſſâ populorum ignorantiâ corruptos fuiſſe mores, fidemque perditam; adeò ut Toloſa, nec Palladia, nec Sancta, nec Catholica diceretur. O caliginoſa tempora! ô denſas Toloſæ tenebras! ô Provinciam *à fructu frumenti, Vini & Olei* multiplicatam, ſed ſpiritualium bonorum pauperem. O Sebaſtiane, ſiccine patriam deſeris? Fugabas olim ignorantiæ tenebras de domo Cæſaris, Chriſtum juſtitiæ ſolem Romanis legionibus aperiebas. Divinum fidei lumen cæcis mortalium oculis inferebas, militem exuens ut Doctorem ageres, hinc per Diocletianum militiæ balteo ſpoliatus, indè per Chriſtum Doctoris & Martyris Laureâ coronatus. Tua te militum cohors prophana deſeruit, aliam tu tibi cohortem meliorem inſtrue. Cohors te Doctorum ſequatur, quæ laboranti Occitaniæ tuæ opportunè ſubveniat. Ita fiet, A A. Ita factum eſt, audit de cœlo ſuorum vota popularium Sebaſtianus, jamque Ludovico IX. Sanctiſſimo Gallorum Regi mentem inſpiravit, ut apud Toloſates Remundi Toloſani Comitis ſumptibus Academiam fundaret. Hæc eſt, Patres Academiæ venerandi, hæc eſt origo Academiæ veſtræ. Non ante nata eſt, quia Ludovicum habere ante non potuit; expectare debuit, ut à tanto parente naſceretur. Quàm nobilis ergo

Ex ignorantiâ infidelitas & depravatio morum.

Sebaſtiani precibus ut piè creditur Occitaniæ ſubventum eſt.

Inſtitutione Academiæ Toloſanæ per Sanctum Ludovicum.

Quæ ab origine ſuâ & ab ipſo fundatore habet, ut

& nobilis ſit. eſt Academia Toloſana, quæ inde ortum habet unde regum noſtrorum familia totius orbis nobiliſſima propagata eſt. Quàm Sancta eſt Academia Toloſana in ipſis concepta ſplendoribus Sanctorum, & per eum fundata Regem, qui non ſolùm inter Reges Sanctus ſit, ſed inter Sanctos Rex & princeps aliquis Sanctorum. Quàm fortis & generoſa eſt Academia Toloſana, ab illo nimirùm heroë deſcendens, qui in famosâ Peluſii obſidione, primus enſe diſtricto in profluentem ſe immergens, ad alteram ripam intrepidus enatavit. Quàm Apoſtolica eſt Academia Toloſana ab Rege veniens Apoſtolo, qui propter gloriam nominis Chriſti & Redemptionem Crucis, cum numeroſo exercitu contra Saracenos expeditionem movit omnibus ſæculis memorandam. Habeant ſibi veteres Minervam ſuam de cerebro Jovis prognatam, meliori parente gaudet Toloſæ Minerva Academia, nobis enim pluſquàm Jupiter eſt Ludovicus Sanctus. Sumptus fecit pro fundandâ Academiâ Remundus Toloſatium Comes, benè eſt, quidquid peccaverat, tam laudabili opere abundè expiavit. Inſtituta eſt primùm Academia Toloſana adversùs ignorantiam, quo vitio *omnia tenebreſcunt*, *areſcunt omnia, omnia ſterileſcunt*, cùm è contra ſapientiâ omnia illuminentur, irrigentur omnia, omnia locupletentur. Inſtituta ergo fuit Academia Toloſana, ut haberet Orbis Gallicus ſapientiam illuminantem, irrigantem, locupletantem.

Et Sancta.

Et generoſa.

Et Apoſtolica.

Remundi Toloſæ Comitis ſumptibus opportunè dotata.

Ad Orbem Gallicum ſapientiâ illuminandum.

Et verò ſimul ut apparuit Academia noſtra *populus qui ambulabat in tenebris vidit Lucem magnam*, & quod olim Iſaïas gratulabatur Hieroſolymæ ſuæ, Toloſæ noſtræ dici potuit non ſine

*Cap. 9.*

gratulatione, *ſurge, illuminare, quia venit lumen tuum.* O ſuperi quanta brevi rerum converſio facta eſt! O quàm ſui diſſimilis Toloſa apparuit! Repetite animo, A A. Confuſa illa rerum primordia, mundi maſſam adhuc informem, obſcurum cahos, rudem ind geſtamque molem, quamdiu ſcilicet *tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Sed ex quo *dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux,* repetite, ut diſponi omnia in melius, & ordinari cœperunt, totaque intra paucos dies iſta rerum congeries in pulcherrimam mundi formam novæ Lucis beneficio coaluit. Ante Academiam confuſa apud nos omnia erant & turbida, quia *tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, vileſcebant pretioſa, æſtimabantur inania, virtus jacebat in imo, vitium in ſummo eminebat, nihil ſuo loco erat, aut quod erat, non apparebat. Ex quo autem Academiæ nova lux affulſit, verſa ſunt omnia in melius, & ſe alteram Toloſa mirata eſt; aperiri cœperunt obtuſa ingenia, rudia erudiri, redire rebus color ſuus, ſuumque pretium reſtitui, fugari quæ in nocte pertranſibant & liberè vagabantur *omnes beſtiæ ſylvæ*, ipſaque Toloſa de tenebricoſo ferarum receſſu in Palladiam litteratorum hominum civitatem transformari.

Cap. 60.

Ex Academiâ quanta lux Toloſæ Palladiæ.

Gen. 1.

Neque ſe magna illa Academiæ lux intra Toloſæ aut Occitaniæ fines continuit, ſed mox ad vicinos populos ſe diffundens excitavit ſopita ingenia, & laudabilem ſciendi cupiditatem omnibus indidit, ſecundùm illud, *Ambulabunt gentes in lumine tuo.* Tantus quidem progreſſu temporis factus eſt populorum ad nos concurſus, ut temporibus Franciſci I. quem litterarum &

Quanta populis circumviciniis.

Quantus in Academiâ Toloſanam auditorum concurſus.

litteratorum Patrem meritò appellant, Scholæ Juris Toloſanæ quas videtis tam amplas eſſe, auditoribus capiendis non ſufficerent. Ante ſolis crepuſculum ſurgebatur, ut vel in ipſo Scholarum veſtibulo, loci aliquid obtineretur; ipſum ſolem lux Academiæ vincebat, nam quò nondùm penetraverant radii ſolis, lux Academiæ penetrabat, deſides excitans & ſomnolentos, quos utique ſol non excitaſſet. Occupatis ſubſelliis inſiſtebat pedibus experrecta & avida juventus; manum habens pro pulpito, & ſi charta defecerat *in ipſis ferè unguibus*, ut cum Athanaſio loquar, dictata excipiens: quâ rei novitate commotus Franciſcus Rex, cùm fortè Toloſâ tranſiret, Academiam Toloſanam nobilitavit, ejuſque Profeſſores pro equitibus haberi voluit, ſapientiſſimè reputans non minùs de regno & republicâ mereri, qui numeroſam juventutem ad ſapientiam inſtruerent, quàm qui militarem cohortem ad prælium erudirent. Atque hinc eſt quòd in funere Profeſſorum noſtrorum, ceremoniâ quâdam rarâ, & Academiæ Toloſanæ propriâ, iiſdem profeſſoribus jam mortuis inſignia nobilitatis aptentur, ne Clericis quidem aut Religioſis exceptis. Ad pheretrum demortui pretioſus enſis apponitur, quem fortè manus innocens & à ſanguine pura numquam ſtrinxit, nedùm cruentavit; induuntur ocreæ aureis inſtructæ calcaribus, etiam illi, qui fortè Ordinis ſui legibus prohibebatur, ne equitaret. Sæcularis pompa ſequitur jam mortuum, qui omnem ſæculi pompam vivus abdicaverat. Diſtribuuntur autem pretioſa Profeſſoris inſignia, velut ſplendidæ exuviæ & ſpolia ampla Collegiatis noſtris: prò

Quantus Academiæ ſplendor.

Quantus honor Profeſſorum in ipſo etiam funere.

uno enſe incruento multi ſæpè ſtringuntur enſes, & interdùm cruentantur; Doctoris ocreas ambit, qui pileum Doctoris habere non poteſt, & calcaria aurea iners accipit, qui ferreis etiam calcaribus ad ſtudendum incitari deberet. Felices putantur quibus ea præmia obtingunt, longè feliciores futuri, ſi cum inſignibus meritum quoque Profeſſoris obtinerent. Sed quòd hîc mortis & funeris mentio incidit, nolite, A A. ſuſpicari, cùm fortè extinguntur Profeſſores Academiæ, continuò Academiæ lucem extingui, de Academiâ enim Toloſanâ meritò dixerim, quod de ipsâ ſapientiâ dictum eſt, *inextinguibile eſt lumen illius. Omnes morimur & ſicut aqua dilabimur in terra.* Contingit, fateor, noſtros Academiæ ſoles extingui ſingulos, aut meliori cœlo tranſcribi; ſed pleriſque illorum idem quod Soli quotidiano contingit, ut longum ſcilicet poſt ſe luminis tractum relinquant, & reſiduo crepuſculo univerſum orbem colluſtrent. Extinctus eſt jamdiu Cujacius noſter, quem *Lucernam* aut potius *Solem juris* appellare poſſumus; adeò impervia quæque penetrabat, illuſtrabat obſcura, confuſa explicabat, Legiſlatorum mentem & rationem legum, ipſis Legiſlatoribus penitiùs introſpiciens, vir ille magnus extinctus eſt, ſed lucet adhuc extinctus, auditur ubi non eſt, & vivere ita deſiit, ut docere numquam deſinat. Extincti ſunt Marani duo clariſſima Academiæ lumina, ſed ita extincti, ut lucere pergant, tum in ſcriptis ſuis doctiſſimis, tum in illuſtribus poſteris quos reliquerunt. Extinctus eſt nuper Dadinus Altaſerra recentis & nunquam moriturae memoriæ vir. Quantæ ille eru-

Et longè poſt funera.

Sap. 7.

2. Reg. c. 14.

Apparet in Cujacio.

In utroque Marano.

In Dadino Altaſerrâ.

ditionis? Quàm capacis ingenii? Quàm indefeſſi laboris? Scimus omnes qui Collegam & Socium habuimus; ſed non verebor dicere, magnus ille vir exteris quàm noſtratibus major eſt, & apud ſeros nepotes plùs aliquandò gloriæ, quàm apud nos habiturus; ſive quia nobis ferè vileſcunt quæ in noſtro fundo veniunt peregrinitatem plùs æquo æſtimantibus; ſive quia nullâ oberrante invidiæ nube, purum hominis meritum alterius ævi aut regionis homines contemplabuntur; ſeu deniquè, quia magni viri Coloſſorum inſtar magis placent, ſi procul, quàm ſi cominus aſpectentur. Demus tamen ſingulorum Profeſſorum lucem uno eodemque cum illis tumulo claudi; ſuperſtes nihilominùs erit Academiæ lux, eſt enim Academia Cœli inſtar ſuccedentibus ſibi ſtellis coronati. Abeuntium jacturam, venientum magna merita conſolantur, & ſui ſemper ſimilis Academia in tantâ rerum viciſſitudine, Cœli inſtar ſemper vertitur, quamdiu vertitur, ſplendidam faciem obtendens.

Academiæ Toloſanæ lux immortalis.

Nec lucentem tantùm ſapientiam Academia diſpenſat, ſed etiam irrigantem, quia ignorantiæ vitio non obſcurantur ingenia tantùm, ſed exſiccantur & exareſcunt. Dicitur Deus Geneſis Capite 2. Plantaſſe ab initio *Paradiſum voluptatis.* Egrediebatur autèm de medio Paradiſi fons, qui ſe in quatuor Capita dividens irrigabat omnem faciem terræ. Quanti erat A A, fons ille, non ad privatam tantùm voluptatem, magna enim, ut ſcitis, voluptas aquarum eſt, ſed etiam ad vegetum florentemque totius Paradiſi ſtatum? Quippè ſine illo fonte, nec prata riſiſſent, nec fronduiſſet nemus, nec virentem her-

Nec lucentem modò ſapientiam diſpenſat Academia ſed etiam irrigantem.

Comparatur fonti egredienti de medio Paradiſi & dividenti ſe in quatuor capita.

bam exſucca terra germinaſſet : ſine illo fonte nec ſui flores areolis, nec ſuæ agris ſegetes, nec ſua arboribus poma conſtitiſſent, aruiſſent enim omnia, & Paradiſus voluptatis in horridum quemdam tractum ſpinis tribuliſque ſylveſcentem degeneraſſet. Terreſtris quidam Paradiſus eſt regio iſta Toloſatium, beata quâdam felicitate ingeniorum magis, quàm Cœli temperie, aut fœcunditate ſoli. Quanto igitur Dei beneficio de medio Paradiſi, Academia Toloſana, inexhauſtus ille ſapientiæ fons ſcaturiit, diviſus in *quatuor Capita* ſeu facultates, Theologiæ, Juris-Prudentiæ, Medicinæ & Liberalium Artium, ut perennibus aquis ſuis univerſam terræ ſuperficiem irrigaret. Hîc enim videas non ſine ſtupore, præterlabentium munere aquarum enaſci flores Oratoribus, myrteta Poëtis, Lauros Philoſophis. Hîc tollere ſe paſſim raram illam *Vitæ Arborem* pellendis morbis viribuſque redintegrandis adeò neceſſariam. Hîc eminere arborem *Scientiæ boni & mali*, nec jam ſolidos ejus fructus prohiberi homini, ſed ſuaderi, ut ſciat quid bonum & malum, quid æquum rectumque ſit, non eludendo leges ut antè, ſed ſincerâ interpretatione explicando. Hîc humile granum Divinæ fidei, de minimo oluſculo creſcere in ingentem arborem, quæ circumvolitantes volucres Cœli exerceat, ſuiſque ramis ſuſtentet. Hîc videas ſubtilium & vivacium ſapientiæ aquarum illapſu naturam ſe totam aperire. Hîc de aquis ſapientiæ medica fieri balnea, & piſcinas ægris omnibus ſalutares. Hîc per aquas ſapientiæ ſtatui agris terminos ſuos & ſua ſingulis jura præſcribi. Hîc exurgere mille jactus aqua-

Terreſtris quidam Paradiſus eſt Regio iſta Toloſatium.

Fons Paradiſi Academia.

Quatuor capita fontis.

Quatuor Academicæ facultates.

Undè eſt omnis eruditio.

rum in vitam uſque æternam ſalientium, Intelligitis quid velim, AA. Ex Academiâ ſcilicet Toloſanâ prodire ſolitos, & Philoſophos acutos, qui naturæ arcana penetrent; & vitales medicos qui omnia curent; & ſapientiſſimos Juriſconſultos qui omnia terminent, & Divinos Theologos qui alta ac profunda Dei ſcrutentur. Fons autem ille ſapientiæ non intra Terreſtrem Toloſæ Paradiſum coërcuit ſe, ſed longè lateque diffudit, *univerſam irrigans terræ ſuperficiem:* Nam ex omnibus Provinciis, quæ Toloſæ adjacent, inſtituta ſunt Collegia, quæ majores noſtri publicas veluti conchas & reſervatoria ſapientiæ eſſe voluerunt. Numerate ſingula, Fuxenſe, Petrocoricenſe, Magalonenſe, Mirapicenſe, &c. Nam ex levi cenſu- & commemoratione ſingulorum ſtatim apparebit, ſtudium Toloſanum univerſale quoddam ſtudium, & Academiam noſtram non unius tantùm urbis aut Provinciæ, ſed totius Gallici orbis Academiam eſſe.

Et omne eruditorum genus.

Diſpenſat deniquè Academia ſapientiam locupletantem.

Ignorantiæ vitium ſterilitas ferè ſequitur & egeſtas, ſapientiam autem divitiæ & opes comitantur. Academia ergo Toloſana, non lucens modo, aut irrigans eſt, ſed etiam locupletans; ſive quòd ſpirituales animi divitias ſine invidiâ communicet, omni auro & argento potiores, juxta illud ſapientiæ, *Omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & ſicut lutum æſtimabitur argentum*; Sive quòd gradum ſternat ad mundanas etiam divitias & dignitates. Nam quot egenos de pulvere ſuſcitavit? Quot labantes familias tenuit ne caderent? Quot mediocres ad ſummum fortunæ apicem evexit. De gremio Academiæ

Ex quâ non ſpirituales ſolùm, ſed etiam mundanæ divitiæ, & dignitates ſeu politicæ ſeu Eccleſiaſticæ proveniunt. *Cap* 7.

Academiæ Toloſanæ olim ad conſilia regum, ad Officia Senatus, ad beneficia Eccleſiæ, ad infulas Antiſtitum, ad purpuram Cardinalium, ad ipſas Thiaras Pontificum aſcendebatur, quòd ſi hodiè non aſcenditur, iniquitas temporum eſt, non vitium Academiæ, magnorum meritorum alumnos educantis, quos fortuna, non ſapientia deſtituit, *Infinitus ille Theſaurus, quo qui benè utuntur participes* fiunt *amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati.* Stet igitur, quod primo loco ſtatueram, Academiam Toloſanam Sebaſtiani votis, & Ludovici Regis Sanctiſſimi conſilio, ſapienter inſtitutam eſſe contra ignorantiam populorum; eoque fine, ut obſcura illuſtraret, irrigaret arentia, ſterilia fœcundaret. Venio ad alterum finem inſtitutionis, eſt enim Academia inſtituta contra infidelitatem. Erit hæc orationis noſtræ pars altera. *Sap. 7.*

Inſtituta eſt Academia Toloſana contra infidelitatem, ut ſit fidei præſidium & defenſio. In quo ſe iterùm probat dignam cohortem Sebaſtiani Martyris pro tuendâ fide fortiter morientis. Ecce enim ut Martyr invictiſſimus poſitus eſt *in ſignum cui contradicitur?* Ecce ut in illum tamquam in ſcopum conſpiratione factâ impii collimant? Ecce ut impiorum tela Sebaſtianus excipit & obtundit, nec modò obtundit, ſed in jacientes fortiùs retorquet, longè enim acriùs punguntur infideles conſtantiâ Martyris, quàm ipſe telorum aculeis.

Secunda pars Academia Toloſana inſtituta adverſus infidelitatem, quâ in re probat ſe dignam cohortem Sebaſtiani Martyris.

Duo ſunt, A A, fidei tempora, unum pacis, alterum belli, in utroque Academia Toloſana cauſam fidei egregiè ſuſtinet, promovetque. Nam tempore quidem pacis, videte, quàm di-

Duo fidei tempora unum pacis, alterum belli; in

utreque cauſam fidei egregiè ſuſtinet Academia.

ligens ſit, in explicandâ, illuſtrandâ, & circumvallandâ fide. Videte, ut per quotidianas Scholæ exercitationes velut umbratiles pugnas ad ſerias aliquandò pugnas proludat. Tempore autem belli, quandò aut prodit nova Hæreſis, aut Schiſma Eccleſiam diſcindit, videte quàm ſolerter conſilia impiorum detegat, quàm prudenter artes fallendi evacuet, quàm fortiter hæreſim confutet, quàm ſollicitè Schiſmata & ſciſſuras Eccleſiæ reſarciat. Vos quidem iſta præcipuè tangunt, Theologiæ Patres & Anteceſſores meritiſſimi, ſed cæteris quoque Academicis communia ſunt; tanta enim eſt inter facultates Academiæ Toloſanæ conſenſio, ut quod proprium eſt unius facultatis, communicatione quâdam idiomatum ad omnes pertineat, idemque ferè Theologus ſit, qui in Academiâ Toloſanâ Juriſconſultus, Medicus, aut Philoſophus eſt. Omnes ergo Sebaſtiani milites, pro fide, eodem zelo, ſi non eodem loco, aut ſtatione pugnatis omnes, non iiſdem armis, ſed animis, & quæ communis omnium eſt cauſa fidei ſuſcipitur ab omnibus, ab omnibus defenditur.

Hunc verò fidei ardorem inſpiravit Academiæ ſuæ fundator ipſe Ludovicus Rex ſanctiſſimus.

Undè vero tantum fidei ardorem habeat Academia Toloſana accipite, A. A. Res enim iſto cœtu digna eſt. Habet primùm à ſuo fundatore Ludovico, Academiæ enim ſuæ zelum Apoſtolicum Rex Apoſtolus inſpiravit, & odium quoddam hæreditarium adverſus hæreticos transfudit Rex ille verè Chriſtianiſſimus, qui hæreticos intra fines Imperii ſui ferre non poterat, pro ſubditis habere nolens, quos ſciret Eccleſiæ Chriſti non eſſe ſubditos. Repetite hîc obiter ad gloriam Academiæ Toloſanæ luctuoſa illa tempo-

Quam ſcilicet voluit pro fide

ra, cùm ſerperet impia Albigenſium Hæreſis, illa quæ Chriſti Redemptionem minuebat, illa quæ Sacramentorum vim & efficaciam evacuabat, illa quæ libertatem homini & omne meritum invidebat, illa quæ Petri primatum & Eccleſiaſticam Hierarchiam convellebat, illa, ut uno verbo dicam omnia, quæ Lutheranam & Calvinianam hæreſim præformabat. Jam peſtiferum illud virus ipſam Religionis ſedem Toloſam; ipſumque Toloſæ caput invaſerat; jam Remundus Toloſatium Comes ferebat ſe pro fautore & Duce Albigenſium. Ad inexpectatum eventum commotus eſt Chriſtianus orbis, Crux contra Albigenſes prædicata eſt, collectus cruciferorum exercitus numeroſus, fracti multiplici prælio hæretici, eorumque res ita acciſæ, ut Remundus partium Dux ad Eccleſiam cum ſuis redierit, aut reditum ſimularit. Tum verò Ludovicus Rex cùm probè intelligeret hæreſim eſſe ſimilem flammæ, quæ inter cineres latens & ſepulta ad levem auram facilè excitatur, novum factura incendium, Remundo pœnitenti legem impoſuit dotandæ ſuis ſumptibus Academiæ Toloſanæ, quæ pro fide vigiles excubias ageret, fidei cauſam tutam eſſe credens, cui Academia invigilaret. Aïebat olim Philippus II. Catholicus Rex ſe in Belgio contra Hæreticos vel unum Collegium noſtrorum hominum omnibus arcibus & præſidiis anteponere: Magnificentiùs fortè dictum, undè etiam nunc modeſtia noſtra erubeſcat. Sed dixerim ego veriùs, non potuiſſe à Ludovico IX. erigi contra Albigenſes

[Margin: excubias agere contra Hæreſim Albigenſium.]

[Margin: *Fam. Strada de bello Belgic.*]

Hæreticos arcem munitiorem, aut præſidium firmius Academiâ Toloſanâ.

Naſcentis Academiæ zelum pro fide tuendâ ventilavit auxitque plurimùm ſanctus Dominicus Toloſatiũ Apoſtolus.

Primum illum fidei ardorem Academiæ Toloſanæ nativum, de Ludovici fundatoris ingenio & inſpiratione venientem, ventilavit, auxitque plurimùm Dominicus Toloſatium Apoſtolus: neque enim dubito, A A, quin pro eâ, quâ apud ſanctum Regem gratiâ pollebat, Academiæ vel fundandæ author, vel fundatæ approbator acceſſerit. Viſa ſibi eſt in ſommis Dominici Mater, cùm adhuc uterum geſtaret, Catellum eniti, qui & facem ore præferret, & perpetuò oblatraret. Præmonſtrabatur quidem eo ſigno, fore ut Dominicus per ſe ſuoſque, & Eccleſiam Doctrinæ radiis illuſtraret, & charitatis igne inflammaret, & contra Lupos ſeu Hæreticos, gregem Domini perpetuis latratibus defenderet; ſed præmonſtrabatur item Academiam Toloſanam facem alteram afflatu Dominici excitandam, Doctoreſque Academicos fidelium inſtar Catulorum excubias pro Domini grege facturos. Ferunt Dominicum, cùm ad populum verba faceret in Toloſæ pomœriis, & ſuburbiis, frequentem non Catholicorum tantùm, ſed etiam Hæreticorum conventum habuiſſe; ridentibus autem ſanctum virum Hæreticis, ut ferè procax eſt & impudens Hæreſis; ille præſagiens quod per fratres ſuos & Doctores Academicos brevi futurum erat, leniterque Hæreticis ſubridens, atqui, ajebat, *Filioli, in vobiſmetipſis illa quam ridetis fides brevi naſcetur.* Præſagitioni reſpondit eventus, & Dominico Apoſtolo noſtro debemus religionem Catholicam, non diu poſt, tam ſuorum, quàm Academicorum operâ Tolo-

ſæ reſtitutam : cùm enim ab ipſo initio inter naſcentem Dominici familiam, novamque Academiam, arcta quædam neceſſitudo intercederet, eâ neceſſitudine, prunarum inſtar ardentium inflammabant ſe mutuò, & ſuus utrique ardor ex conjunctione creſcebat. Habetis, Patres Academiæ venerandi, quorsùm in Eccleſiâ ſancti Dominici ſuos Academia cœtus habeat; cogit nimirùm etiamnunc Dominicus, quos antè cogebat, & quos ad communem cauſam fidei, olim per ſe accendebat Doctores Academicos, ſuorum hodieque exemplo & fervore accendit. Divinum hunc Academiæ ardorem nutrit præſertim hodiè & fovet digniſſimus Dominici filius ſanctus Thomas, ille ſcholæ Angelus, qui *tot miracula fecit, quot quæſtiones determinavit*, ille quem nullus umquam ſiniſtræ ſuſpicionis rumor aſperſit, ille *fidei ſcutum inexpugnabile*, & Clypeus Eccleſiæ adverſariis noſtris terribilis, *Tolle Thomam*, ajebat unus illorum, *& diſſipabo Eccleſiam*, ille, inquam, quantus quantus eſt ſanctus Thomas, Patres Academiæ venerandi, totus veſter eſt, de Aquinate, ſi auſim dicere, factus Toloſas, & jampridem de Sorbonâ, quam olim tantoperè illuſtravit, in Academiam Toloſanam feliciter cooptatus; adeo ut Academia Toloſana ſupra omnes orbis Academias, Academia ſancti Thomæ appellari debeat, idque jure duplici; primùm, quia juxta Chriſti dictum, *ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*, ad ſacrum ſancti Thomæ corpus Academia Toloſana congregatur, coram venerandis ſancti Thomæ reliquiis ſupplex & frequens procumbit, ſacrum ignem de frigidis etiam cineribus ſpirantem ex-

Nutrit hodiè fovetque ſanctus Thomas Doctor Angelicus.

cipiens. Deindè vero, quia ſancti Thomæ non corpus tantùm ſed etiam ſpiritum habet Academia Toloſana, Doctrinam ſancti Thomæ Angelicam profitens & propriâ ſponte Doctorum & voluntate Pontificum, qui ſanctum Thomam Academiæ Toloſanæ Ducem & Doctorem præfecerunt. Hîc ego A A. de me ſincerè profiteor, jurare paratus ſi opus erit, totum me & exemplo majorum, & commendatione Pontificum, & ſingulari, cujus mihi ipſe conſcius ſum affectu, propendere, ut ſanctum Thomam religiosè ſequar quocumque ierit.

Ad ſummum provexit Maria Deipara ſẽper immaculata.

Academiæ Toloſanæ alma mater.

Zelus Academiæ pro immaculato Virginis Conceptu.

Sed Academiæ ardorem ſupra omnes excitavit, & ad ſummum provexit Maria Deipara Academiæ Toloſanæ alma mater. Eſt enim Academia Toloſana multis & magnis nominibus Mariæ ſacra. Primos Orientis Mariæ radios, primumque fervorem accipit, quia, ſi fas eſt dicere, ſtatim ut ſe prodit Maria in Academiæ amplexus & ſinum ruit, ibi ſecura innocentiæ & famæ ſuæ, Doctores Academicos pro *tutoribus & actoribus* habens; Doctrinam ſcilicet immaculati illius Conceptus ita defendit Academia Toloſana, ut nullum inauguret Anteceſſorem, qui non ante juraverit ſe piam ſententiam pro viribus defenſurum. Scitis quid dicam, Patres Academiæ venerandi, ita juraſtis omnes, ita in eodem ipſo locó, in quo ſedetis, jurari ſolet, audiente Doctore Angelico & plaudente. In quâ religione ſacramenti, Academia veſtra non tam ſequùta videtur eſſe Sorbonam, quàm Sorbonæ præiviſſe; cùm enim Toloſatium pietas erga Mariam præ cæteris ſemper excelluerit, & famoſa fuerit toto orbe Chriſtiano illa Toloſa-

De pietate Toloſatiũ deſcendit, & de illo

tium ſodalitas, prima omnium ſodalitatum in honorem Mariæ ſine labe Conceptæ inſtituta; ſodalitas tam antiqua, & à noſtris remota temporibus, ut illius origo neſciatur; ſodalitas tam nobilis, ut ſodales non admittat, niſi quos aut conditio naſcendi, aut propria virtus nobiles fecerit; ſodalitas tam ſancta, & ſanctis probata viris, ut cùm intra unius Parœciæ fines clauderetur, ſanctus Dominicus pro ſuo erga Mariam ſemper immaculatam zelo patere omnibus Toloſatibus voluerit, ejuſque amplificationem ab Honorio Pontifice impetrarit; ut autem plantæ de genio & conditione ſoli in quo naſcuntur, ferè aliquid habent, ita Academiam Toloſæ fundatam, de pietate Toloſatium, & tenero illo erga Mariam affectu plurimùm hauſiſſe crediderim. Neque tamen Academiæ Toloſanæ ſatis eſt, Mariam minorem aut pupillam defendere, eamdem enim ut Reginam roſis coronare amat, ſingulis diebus Dominicis in eo ipſo templo in quo ſumus conveniens, ad ſacrum ſolemne de Beatâ Mariâ in Sacello Roſarii decantandum; ut de plenitudine Mariæ Doctores Academici accipiant, & Mariæ Spiritu pleni ad ſuum quiſque munus alacriter obeundum revertantur.

inprimis, nobili ſodalatio. Quod omnium primum in honorem B Mariæ ſine labe Conceptæ fuit inſtitutum.

Aperui hactenùs cauſas & fontes zeli Academici, nunc ſapientiam induſtriamque, & vim illius mirabilem paucis videamus. In tribus autem zelus iſte Academiæ Toloſanæ inſigniter apparet, in Theologiâ ſincerè tradendâ, in profanis Hæreſum novitatibus coërcendis, in Schiſmate ſedando, & fovendâ Eccleſiæ pace.

Zeli Academici ſapientia, induſtria, & vis mirabilis apparet inſigniter in tribus.

Quanti Theologia ſcholaſtica momenti ſit ad cauſam religionis intelligitis, A A, tum ex ſen-

Primò. In Theo-

logiâ ſincerè tradendâ.

ſu Pontificum, qui Theologorum ſcholas *armamentaria fidei, & propugnacula Eccleſiæ* appellarunt: tum ex Hæreticorum convitiis, quæ ad commendationem Theologiæ omni laude potiora ſunt; ab eo enim genere hominum vituperari, laudari eſt: tum deniquè ex ipſâ notione Theologiæ ſcholaſticæ; neque enim eſt illa, ut paſſim traducitur, inepta congeries inutilium quæſtionum, ſed divinorum fidei dogmatum explicatio & ordinata defenſio, per quam rudes, Myſteriis noſtris initiantur, nutantes in fide confirmantur, aperitur verus ſcripturæ ſenſus, ſincera Patrum traditio continuatur, & ſacrum Doctrinæ Chriſti depoſitum in Eccleſiâ fideliter cuſtoditur. Quàm ſincerè autem, & quàm accuratè tradatur Theologia ſcholaſtica in Academiâ Toloſanâ, arguite, viri clariſſimi, ex concurſu auditorum, vix enim uſpiam terrarum Theologicæ ſcholæ frequentiores ſunt. Arguite, ex fructu progreſſuque alumnorum Academiæ, de illius enim gremio prodiere ſemper inſignes Theologi. Arguite ex famâ Academiæ Toloſanæ, nam apud Sorbonam ipſam Academiarum principem Doctores Toloſates in pretio ſunt; nec immeritò, mittit enim Academia Lutetiam non tam Diſcipulos, quàm Magiſtros, iique tales ſe probant, ut jam docere poſſint, non doceri. Arguite ex Academiæ privilegiis, diplomata enim Regum noſtrorum & Bullæ Pontificum Doctores Toloſates, omnibus Pariſienſium Doctorum privilegiis gaudere voluerunt.

Secundò. In profanis hæreſũ novatoribus coërcendis.

Sed quantus eſt, A A, Academiæ Toloſanæ zelus, in profanis Hæreſum novitatibus coërcendis. *Noctua* eſt error, *lucifuga* eſt, in luce Academiæ ſtare non poteſt. Negotium eſt ferè

in tenebris perambulans profana novitas ; ſed negotium tenebroſum Academia illuminat, & illuminando diſſolvit. Serpit Hæreſis flores inter & latebras verborum, ſerpentem Academia detegit, è latebris educit; eique, ne ſerpere & ſibilare pergat, caput elidit: erumpunt interdùm Hæretici Luporum inſtar, & ſub ovinâ pelle per ovile graſſantur; ſed lupis Academia oblatrat, lupis pellem ovinam detrahit, lupos contundit, aut longè arcet. Quid hîc commemorem omnes Academiæ cenſuras? quid extortas à novatoribus retractationes? quid victrices confutationes errorum? Unum dicam, A A, ſed Capitale unum, & quo nihil dici poteſt ad gloriam Academiæ veſtræ luculentius. Ex quo Academia Toloſæ fundata eſt, Hæreticos ferre Toloſa non potuit. Albigenſium, credo, Hæreſis Toloſam occupaverat, quia Toloſæ Academia non erat. Heu! quantis laboribus, quantiſque ſumptibus opus fuit, ut Hæreſis Toloſâ pelleretur; ſed ne Toloſam rediret, modico ſumptu; Academia objecta eſt pro muro, Academia verè *terribilis ut caſtrorum acies ordinata*, imo longè quàm caſtrorum acies terribilior: nam quos Albigenſes Caſtrorum acies numeroſa non terruerat, Academia ita terruit, ut nihil poſthac movere auſi fuerint. Calvini Hæreſis ſuperiore proximè ſæculo cùm totam fere Galliam pervaſiſſet, & circumjacentes Toloſæ urbes occupaſſet, Toloſam tentare voluit, ſed Catholica ſemper ſtetit Toloſa, & *ſicut lilium inter ſpinas*, intemeratum fidei candorem ſervavit. Debet hoc quidem alma Civitas Auguſti Senatus ſapientiæ & authoritati, nam cujus hodiè decretis ſanctiſſimis, Bergeracenſe, Monſpelienſe, Montalbanenſe, Ca-

Academia pro muro objecta Albigenſibus.

Et Calviniſtis.

ſtrenſe, aliaque profana Hæreticorum templa corruerunt, ejuſdem olim zelo & authoritate proviſum eſt, ne Idolum hæreſis cum arcâ Domini ſociaretur, ſuumque Toloſæ Templum haberet; ſed per Academiam, auſim dicere, ſtetit Senatus ipſe: Academia, Toloſæ palladium eſt, quod quamdiu ſtabit, tamdiu in fatis eſt, Toloſam fore Hæreticis inexpugnabilem.

Contra omnes Hæreſes pro palladio eſt.

Tertiò. In Schiſmate ſedando & fovendâ Eccleſiæ pace.

Quanto demùm zelo, ad Schiſma, ſi quando ortum eſt, ſedandum, fovendamque Eccleſiæ pacem applicuerit ſe Academia Toloſana, ex hoc uno intelligite. Præceſſerat horridum illud Schiſma pluſquam ſexaginta annorum, quo tempore biceps aut triceps Eccleſia inaudito ſcandalo apparebat. Meminerat Chriſtianus orbis quanto labore Concilium Conſtantienſe, abdicatis aut ultro cedentibus Pontificibus, unum Martinum quintum in verum & indubitatum Pontificem elegiſſet; novum ſchiſma ſimile priori minabatur diſcordia nova inter Concilium Baſileenſe & Eugenium quartum Martini deceſſorem; jam enim Baſileenſes abdicato Eugenio, Felicem Amedeum Sabaudiæ Ducem ſubrogare parabant: in tantâ difficultate rerum, & concordiâ penè deſperatâ ad Academiam Toloſanam controverſia delata eſt, eique ab Eugenio ſimul & à Concilio magnificæ litteræ venerunt. De conſenſu partium ſedit, ut ita dicam, arbitra Academia Eugenium inter & Baſileenſes, & qui tantopere diſſidebant inter ſe, in agnoſcendâ Academiæ fide & ſapientiâ concordarunt. Quàm libens recitarem utrorumque litteras, nam earum recitatio magna quædam foret Academiæ laudatio; ſed me aliò vocant anguſtiæ temporis, & præſtituti fines dicendi. Ergò quod ſupereſt de

Controverſia Eugenium inter & Baſileenſes delata ad Academiam Toloſanam.

Aſſervantur in Archivo Academiæ.

inſtitutione Academiæ contra morum depravationem delibabo tantùm, obiter indicans Academiam Toloſanam, non modo in lumen populorum, aut præſidium fidei, ſed & in orbis Chriſtiani exemplum fuiſſe inſtitutam.

Unum hoc deeſſe videbatur Academiæ Toloſanæ ad perfectam cum Sebaſtiano ſimilitudinem, ut cum Doctrinæ radiis & fidei ardore morum exempla conjungeret; ſed planè non defuit. Academia enim poſt fugatas ignorantiæ tenebras, poſt infidelitatem longè propulſatam, corruptos hominum mores exemplo ſuo reformavit. Magna quidem fuit Sebaſtiani laus, lucere verbo Doctrinæ, & fidem ſtrenuè defendere; ſed majus aliquid eſt, feciſſe quod docuit, impleſſe quod credidit, ſuamque Doctrinam & fidem, morum integritate, ipſiuſque effuſione ſanguinis comprobaſſe. Hæc eſt eadem Academiæ Toloſanæ perfecta & conſummata laus. Apoſtolos totius orbis reformatores, ſic olim Chriſtus compellabat, *vos eſtis ſal terræ*, ſive quòd, inquit Hieronymus, ut victores in terrâ jam ſubactâ ſal ſeminant, ne quid ultra germinet; ita Apoſtoli hominibus jam Chriſti imperio ſubactis ſuperſeminandi erant ſalis inſtar, quò fieret, ne in antiqua vitia luxuriarent; ſive quòd, inquit Auguſtinus, populi Apoſtolico exemplo velùti ſale condiendi erant, ne putreſcerent & corrumperentur. Sinite hîc, Patres Academiæ venerandi, ut veſtri causâ eadem Chriſti verba uſurpem, *vos eſtis ſal terræ*; vos enim exemplo veſtro id facitis, ne populus Chriſtianus per diſciplinam Chriſti & fidem ſubactus, in pravos mores luxuriet; & per vos Toloſa noſtra Academico, ne dicam, Apoſtolico

Tertia pars. Academia Toloſana inſtituta contra morum depravationem.

*Matth. 5.*

Quo ſenſu Apoſtoli dicuntur ſal terræ.

*Lib. 1. de Sermone Domini in monte, c. 6.*

Eodem & profeſſores Academici.

Quàm enim idonei ſint ad ad mores hominum reformandos, ſatis apparet ex ipſâ ſpecie Academiæ.

ſale condîta, hoc habet, ne ſuam integritatem amittat; in quo, ne quis me exiſtimet adulatorem magis eſſe, quàm ſincerum Academiæ laudatorem, videte, viri Clariſſimi, uno intuitu, quibus hominibus ex primævâ inſtitutione conſtare debeat Academia Toloſana; videte quos homines, & de quibus ordinibus, & quàm ſelectos ſibi cooptet: nam præter Decretiſtas & Juriſconſultos, ad Juris normam regulamque apprimè exactos, præter optimos Medicos qui corporibus ſimul & animis medeantur, præter Philoſophos qui Philoſophiam vivere ſciant, magis quàm docere; ut uni Theologiæ inſiſtamus, quam præcipuè tangit fidei & morum reformatio, hoc advertite unum, eſſe facultatem Toloſanam ex ſanctiſſimorum ordinum flore collectam.

Commemoratur cooptatio Patrum Societatis Jesu in Academiâ Toloſanam.

Acceſſerunt nuper Ludovici Magni voluntate tres anteceſſores de Societate noſtrâ, ut, ſi quid fortè nobis ſingulis deeſſet, numero compenſaretur. Non poſſum, hîc, Patres Academiæ venerandi, veſtram in nos gratiam tacitus præterire, tuamque imprimis, Rector Academiæ ſapientiſſime, mihi enim teſti oculato non excidit, cùm Rector etiam tunc ſederes, quâ nos benignitate novitios adhuc & Academiæ candidatos acceperis. Ludovico quidem Magno cooptationis noſtræ in Academiam authore, ſed te introductore gloriamur. Unus ego de primis in Academiam per te admiſſis, & quidem ſolus ſuperſtes ſum, in eum ſcilicet finem reſervatus, ut tua in nos merita commemorarem, poſteriſque noſtris tranſmitterem. Cùm primum Toloſam venimus, alma Academia admittere nos ultrò voluit in ſinum ſuum; tùm verò Societas naſcens, non tumore, aut faſtidio ullo gratiam quæ offerebatur recu-

Nec ſine grati animi ſenſu. Erga Ludovicum Magnum authorem iſtius cooptationis. Erga ſapientiſſimũ Academiæ Rectorem (erat is Dom. de

ſavit, ſed pudore & reverentiâ accipere diſtulit, donec ſcilicet ipſo tempore,& honeſtis laboribus eà ſe gratiâ minùs indignam præſtaret. Verùm poſt centum ferè annos conſcia ſui ipſius & ſuæ originis ( ex Academiâ enim egreſſa eſt, & fuerunt omnes Patres noſtri Doctores Sorbonici ) in Academiam, quæ rerum humanarum circulatio eſt, tandem rediit, ut redeunt in Mare flumina undè exierunt; hoc ſolùm diſcrimine,quòd in Academiam, ut in Mare influens more fluminum, ſuum ibi nomen, ut ferè perdunt flumina, ipſa non perdet, ſed magis ac magis amplificabit. Ergo jam cum Academiâ *unum corpus ſumus*, non in Chriſto tantùm, ſed in Ludovico Magno, ipſe enim eſt *qui fecit utraque unum*; ipſe, qui pro arbitrio ac prudentiâ ſuâ, & conjuncta dividit, & diviſa conjungit, ubique Magnus, ſeu dividat malè conjuncta, ſeu malè diviſa conjungat; ipſe, qui fœderatas contra ſe gentes uno ſpiritu diſſolvit; ipſe qui diſcordem Europam beatæ pacis vinculo colligavit; ipſe qui utrumque Mare operoſo Alveo connexuit Ludovicus ſemper Magnus, idem ipſe nos almæ Academiæ ſociavit, quo nihil dici poteſt ad fœderis noſtri gloriam magnificentius. Utinam à nobis ad Sebaſtiani coronam, & gloriam Academiæ aliquid accederet, & diceret nobis Sebaſtianus, *gaudium meum & corona mea ſic ſtate in Domino chariſſimi.* Sed ſi Academiam aut Sebaſtianum ornare non poſſumus, poſſumus tamen Sebaſtiani nomine Academiæ gratulari, eique Pauli verbis animos addere ad perſeverandum. *Gaudium* igitur *meum & corona mea, ſic ſtate in Domino chariſſimi. Sic ſtate in Domino*, Patres Academiæ venerandi, ut majores noſtri ſteterunt; ſic ſtate,

Tillol utriuſque juris profeſſor emeritus )
Erga Academiam univerſam.

Cohortatio gratulatoria ad Academiam.

ut tamdiu ipſi ſtetiſtis in lumen populorum, in præſidium fidei,in orbis Chriſtiani exemplum.*Sic ſtate* ad fugandas ignorantiæ tenebras, ad fidem fortiter propugnandam, ad mores hominum reformandos. *Sic ſtate in Domino*, Anteceſſores Theologiæ meritiſſimi, in ſacrâ Doctrinâ ſincerè tradendâ, in confutandis novitatibus, in Eccleſiæ diſſidiis componendis; *Vos* enim *eſtis lux mundi*, redarguite *opera tenebrarum*, ipſique *ut filii lucis ambulate*. *Sic ſtate in Domino*, Sacri juris antiſtites, regite Academiam uti regitis; veſtrum enim éſt leges dare,qui leges tam ſincerè exponitis,& multò fidelius ſequimini. *Sic ſtate*, Medicinæ Profeſſores, propter virtutem magis, quàm propter neceſſitatem honorandi, ita curantes corpora,ut curam animorũ non negligatis,pertranſiteCæleſtis exemplo Medici *benefaciendo & ſanando omnes*, & ſi fortè nón facitis ope veſtrâ, ne quis moriatur, facite tamen,quantùm in vobis eſt, ne quis inexpiatus & imparatus moriatur. *Sic ſtate in Domino*, Philoſophi præſtantiſſimi & liberalium artium profeſſores. Per humanas artes & naturalem ſapientiam meliori & Chriſtianæ ſapientiæ viam præparate: *Sic ſtate in Domino* Auditores Academiæ dilectiſſimi,in ſtudioToloſano perſeverantes, nec vos umquam de ſinu Academiæ diſciplina ſeverior abducat, aut aliò trahat alterius cujuſcumque Academiæ diſciplina laxior: amate neceſſitatem quæ ad meliora vos cogit. Laxitatem fugite, quæ vos inertes faceret, aut ignaros. *Sic ſtate in Domino chariſſimi*; ſic ſtet æternùm Academia, digna quæ Ludovicum ſanctum fundatorem habeat, & Ludovicum Magnum amplificatorem; digna, quæ & Sebaſtianum coronet, & à Sebaſtiano æternùm coronetur.

Et ſingulos Academiæ ordines.

Ad Theologos.

Ad Juriſconſultos.

Ad Medicos.

Ad Philoſophos.

Ad Academiæ alumnos.

# PRO REGE INCOLUMI SEU SOSPITE LUDOVICO MAGNO.

## ORATIO GRATULATORIA.

*Nunc cognovi, quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum.* Pſal. 19.

QUÆ fuit olim Davidis ſanctiſſimi Regis de gravi periculo emergentis modeſta & magnifica confeſſio, PATRES ACADEMIÆ VENERANDI, nupera vox eſt LUDOVICI MAGNI Regum maximi de gravi infirmitate convaleſcentis, Deumque ſervatorem ſuum in Principe regni Civitate modeſtè ſimul & magnificè confitentis: eaque vox de tanti Principis ore excepta, per omnes regni ordines volitans, facta eſt vox univerſæ Galliæ effundentis ſeſe in gratiarum actiones publicas, perindè ac ſi Princeps non de lecto, ſed de tumulo redivivus, non ſervatus, ſed renatus appareret. Expectatus olim diu LUDOVICUS, poſt longa vota multorum annorum, & præter ſpem omnem, qui ſpem omnem

Habita in Eccleſiâ ſancti Dominici inter Miſſarum ſolemnia.

Ludovici Magni natalibus.

& vota omnia ſuperaturus erat, exceptus eſt uti Princeps è Cœlo delapſus, tantâ acclamatione populorum, quantam ab imperio condito Gallia non vidit, plaudentibus ſibi invicem Gallis, *parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Sed ecce quaſi natales illi dies redirent, ſimilis omniũ animos ſenſus pervadit, quandò poſt amota pericula, poſt pacatos timores, poſt exauditas preces optimum Principem ſalvum & incolumem recipimus, univerſâ Galliâ feſtis vocibus perſonante, *nunc cognovi quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum.* Nec mirum eſt, Auditores, ſimile gaudium eſſe, ubi ſimilis eſt cauſa gaudendi: non enim minor ſuperorum gratia cenſeri debet reſtitutus Princeps, quàm datus. Redintegratio iſta Ludovici, regeneratio quædam eſt, & nativitas altera melior priore. Notate, amabo, tempora & diſcrimina temporum; cùm primùm natus eſt, majorum quidem gloriâ, quàm purpurâ ſplendidior apparuit, ſed propriæ gloriæ inops & meritorum vacuus: nunc verò renaſcitur regiarum plenus virtutum, regeſque omnes non tam ſolii, quàm meriti ſublimitate tranſcendens. Recens nato ita plaudebat Gallia, ut incerta futuri penderet: nunc reſtituto plaudit, & regiæ conſcia magnitudinis & magnorum eventuum ſecura. In rege infante initium aliquod & rudimentum dumtaxat Ludovici Magni habebamus; nunc vero Ludovicum Magnum, eumque totum, & omnibus abſolutum numeris recipimus. Tantò igitur excellentior eſt gratia hæc nova, tantò uberior materia gaudiorum, quantò præſtantior eſt Ludovicus Magnus Ludovico minore.

*Iſaiæ 9.*

Soteria iſta reſpondent.

Et meritò quidem.

Quia redintegratio Ludovici ſecunda quædam nativitas eſt priore melior.

Et

Et vos quidem, Anteceſſores meritiſſimi, pro jure veſtro veniſtis; ut qui maximè, in partem lætitiæ communis; anteceſſiſtis enim nuper omnes ferè Toloſæ ordines in tam juſto officio gratiarum actionis, aſſueti jam pridem, quod æquum rectumque eſt, non minùs exequi, quàm docere. Sed qui laudabiliter præiſtis, magnificentiùs hodiè ſequimini, ut celeritatem officii perſeverantia ipſa coronet, intelligàntque omnes Academiam venerandam pro gloriâ principis & primam ardere, & numquam frigeſcere. Academia nimirùm Toloſana inter omnes orbis Academias tota Regia eſt, & quæ ſumma laudum eſſe poſſit, tota Ludovicæa: quippè quæ & Ludovico Sancto fundatore, & Ludovico magno amplificatore gloriatur. Fundamenta Academiæ jecit Ludovicus Sanctus, coronidem Ludovicus magnus impoſuit, nec potuit fundari Sanctiùs, nec Auguſtiùs coronari. Sed potuit eadem, ne dicam debuit, ad iſtud gratulandi munus alium à me quempiam deſignare; in tanto magnorum virorum numero difficilis optio non erat. Debuiſtis certè, Patres Academiæ venerandi, & in hoc uno magnificentiam Academiæ deſidero, nec ſatis mirari poſſum; vos, quos adeò tangit gloria principis, câ parte gloriæ principis non ſatis providiſſe. Niſi mihi fortè, quem hodiè linguam Academiæ eſſe vultis, aliquid eloquentiæ veſtræ commodabitis, aut mihi meus pro Ludovico ardor ingenium acuet, & linguam expediet. Sentio tamen quod res eſt, in delectu veſtri Oratoris rationem habuiſtis non majoris meriti, ſed debiti gravioris. Nimirùm ut ſum ego unus aliquis de minimâ illâ ſocietate, quæ Ludovico tot

In partem lætitiæ communis venit Academia Toloſana.

Jure quodam præcipuò.

Et magnificentiâ ſingulari cui nihil defuit niſi Orator idoneus.

Sed in ejus delectu non tam habita eſt ratio majoris

nominibus obſtringitur ut nulla magis, prædicandi benefactoris noſtri occaſionem aliquam ſubminiſtrare voluiſtis, ut qui Regi tantùm debemus, aliquid ſaltèm laboris & operæ, quandò nihil ultra poſſumus, in ejus commendationem rependamus. Acceſſit fortè quod privatim ego plùs debere videor, quàm cæteri ſodales mei; Regis enim munere veſter ſum, unus de primis noſtrorum hominum Regis munere in Academiam cooptatis, & ſolus in hunc diem ſuperſtes, ut Regis gratiam, veſtramque in nos benignitatem poſteris noſtris commemorem.

Merito quam debiti gratioris.

Nihil igitur morabor ſubire onus quod imponitis, ſed planè nihil fecero, niſi priùs invocatâ Mariâ Deiparâ; eſt enim Dea illa ſoſpita & auxiliatrix, cui Ludovicus, ut victrices Lauros ereptaque hoſtibus vexilla appendere ſolitus eſt, ita nuper acceptam ſalutem referre voluit.

Ludovicus Magnus in ſingulis ætatibus novam laudis & gratulationis materiam ſuppeditat.

Singulare Ludovici Magni fatum eſt, ut heroïci Regni ſui auream ſeriem ſenſim evolvens, novam ſemper eamque amplam laudis & gratulationis materiam ſuppeditet. Retexamus obiter Ludovici ætates ſingulas, ut ad eam, quæ prætierlabitur, gradatim veniamus. Simul atque Imperii habenas moderari cœpit, ſentiens Gallia quantum ſeſſorem & moderatorem haberet, alios protinùs indignata Dominos, jugum omne extraneum ſuperba excuſſit, uno contenta Ludovico. Nec ſua illam ſpes fruſtrata eſt, divinam enim propè ſapientiam præmonſtravit Rex adhuc juvenis, *Magni* tamen *Conſilii Angelus*; adeò ut in ætate immaturâ, rerumque uſu deſtitutâ tantam conſiliorum ſenectutem annoſi politici mirarentur. Mox civilibus bellis extinctis, ani-

miſque ad pacem converſis, per Regalem cum Mariâ Thereſiâ Auſtriacâ Hymenæum, Ludovicus pacem non tam obtinuit, quàm dedit, Salomon alter & *Princeps Pacis* tunc appellatus. *Iſaïa* 9.
Nec diu fructu ſuo caruit Auguſtus ille hymenæus: Nam & Galliæ Sereniſſimum Delphinum tulit, & Ludovico dedit, ut fauſto omine *Pater futuri ſæculi* præſagiretur. Sed diuturna non fuit pax hymenæo ſancita, quia ſponſæ & Delphini violata jura, ſponſus & Pater vindicare habuit. Ludovicum igitur pacificum Ludovicus bellator excepit, idemque victor; nam victori nomen grande fecerunt victoriæ ſuæ, & multitudine innumerabiles, & celeritate vincendi incredibiles. Poterat certè Ludovicus, ſi ambitione non æquitate duceretur, Europam ſibi totam ſubjicere; ſed potens & victor ſui magis quàm hoſtium pacem ultrò dedit, quam nemo invito extorquere potuiſſet; jam non pacificus dictus, ſed pacis arbiter & Dominus. Indè ad Rempublicam adminiſtrandam curas omnes intendens, & ſapientiſſimus Legiſlator, & ſeveriſſimus legum vindex fuit; eòque ſucceſſu regiminis, ut vaſtum Galliæ Imperium domus una quædam pacata, aut familia benè inſtituta crederetur. Intereà acceſſit Delphino auguſta proles, Ludovicus de Patre factus eſt avus multorum Principum, quos totidem Reges natura finxit, ut eſſet ipſe in curiâ ſuâ *Rex Regum & Dominus Dominantium.* Tot nimirùm præſidiis fulciri debuit, tot præludere victoriis ad Calviniſmum è totâ Galliâ eliminandum. O ſuperi! quale & quantum opus! quod nemo priorum Regum tentare auſus eſt, nedùm exequi. Qualis

& quantus author operis Ludovicus! Qui totum negotium ſolâ autoritate ſuâ, & uno veluti nutu voluntatis intra paucos menſes confecit. Hoc mirabatur orbis Chriſtianus, hoc prædicabamus omnes, cùm ecce, qui ulcus imperii inſanabile momento ſanaverat, idem in auguſto corpore ſuo ulcus ſenſit priore non minùs periculoſum; malas, credo, reliquias fugientis hæreſeos, & ſuam fugam ulciſcentis. Sed Deus Optimus Maximus tam periculoſo ulceri, aut manum ipſe adhibuit, aut medicam, ne erraret, direxit, ut planè jam ſecura Gallia exclamet, *Nunc cognovi quoniam ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum.*

Hæc ſunt Ludovici miracula ſingulis ætatibus diſtributa ac diſpenſata, ut haberent ſingulæ quod prædicarent: Ludovicus enim, ut totus videri non poteſt, ita nec totus laudari, omni laude & comprehenſione major; ut divinitas, ita dividenda majeſtas, & ſecundùm diverſas facies diverſis obtutibus aſpectanda. Sed quamcumque nobis faciem obtendat Ludovicus, heroïca & divina eſt. Non committam ergo, Auditores, ut Ludovicum totum complectar. Non committam, ut præſentem gratulationem Panegyrico commutem, quæ vel uni radio excipiendo impar eſt, immenſum ſolis orbem imbecilla acies non ferret, aut anguſtior pupilla non caperet. *Nunc cognovi*, & hoc unum hodiè cognovi, *Quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum*: In hoc uno inſiſtam, & gratulabor, quam fecit Dominus *commutationem Chriſti ſui*, ſeu Ludovici magni redintegrationem. Duobus illa veluti extremis clauditur, infirmitate præteritâ, & incolumitate præſenti.

Materia præſentis gratulationis Ludovici magni redintegratio.

Ex uno Ludovici gloria, ex altero felicitas noſtra. Nam jacuit Ludovicus aliquamdiu infirmus in gloriam ſuam novam; reſurgit idem incolumis ad felicitatem publicam cumulandam. Quæ duo ut invicem connexa ſunt, & unum aptum ex alio, bipartitâ Oratione, & unius veluti numiſmatis geminâ facie concludam.

Duobus veluti extremis clauditur infirmitate præteritâ, & incolumitate præſenti: ex uno Ludovici gloria; ex altero felicitas noſtra.

Victoribus ſolemne eſt pugnæ locum quantumvis horroris plenum & ſanguinis poſt victoriam reviſere: numquàm fœtent victori cadavera cæſorum hoſtium, placet ſemel obducta cicatrix, & de vulnere plùs aliquandò gloriæ fluit, quàm ſanguinis. Retractemus & nos, ſi lubet doloris & timoris antiqui cauſam, quia facta eſt materia gaudii præſentis, & *luctus noſter in cytharam verſus eſt.* Date mihi hanc veniam, viri clariſſimi, ut Ludovicum magnum jacentem nuper & infirmum repræſentem, triſte nimis & luctuoſum olim ſpectaculum, ſed Ludovico nimis glorioſum, nec nobis hodiè omni ex parte injucundum. Habent præterita pericula voluptatem ſuam, & memoria antiqui timoris condimentum eſt aliquod præſentis ſecuritatis. Jacebat ergo nuper Ludovicus magnus, ſed jacebat in gloriam ſuam novam, quæ prima pars eſt gratulationis noſtræ.

Prima pars Gratulationis.

Jacuit infirmus nuper Ludovicus in gloriam ſuam novam.

Rideant profani homines clamantem Apoſtolum. *Gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.* Apoſtolo digna eſt & divina ſententia. Chriſtus nimirùm Dei Filius, quem Pater *unxit oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis*, idem amarum Calicem largiùs omnibus bibit, & bibendo divinam virtutem monſtravit, nuſquàm magis probatus Deus,

2. *Ad Cor. c.* 12.

Chriſtus nuſquam magis probatus Deus quàm in Cruce.

quàm in Cruce. Glorietur ergo Ludovicus, qui Chriſtus Domini eſt, in infirmitatibus ſuis, ut in ipſo, non minùs quàm in Apoſtolo, virtus Chriſti inhabitet.

Equidem Ludovici gloria eò perveniſſe credebatur, ut jam nec creſcere propter immenſitatem poſſet, nec propter ſoliditatem decreſcere. Abundè habebat jam pridem quo cæteros mortalium vinceret, ſed deerat novum & inſigne aliquid, quo ſe ipſe ſuperaret. Quid hoc tandem, Auditores? Difficillimæ profectò inquiſitionis res eſt; nam quid vacui eſſe poſſit, ubi plena ſunt omnia, aut quæ virtus heroïca in tanto Heroë deſideretur? Non tenebo vos diu ſuſpenſos. Deerat Ludovico Chriſtiana & heroïca patientia, quamquam in tanto Heroë non deerat illa, ſed latebat. Noverat univerſus orbis quid poſſet agendo Ludovicus, ſed quid patiendo poſſet, neſciebat. Ludovicum, & pium, & juſtum, & bonum, & pacificum, & victorem, jam ſatis uſus ipſe probaverat, ſed patientem nondùm ſatis probaverat. Artis regnandi, quæ ars artium, ſcientiſſimus erat Ludovicus, ſed *vir dolorum* & *ſciens infirmitatis* non erat. Hoc unum deerat, quod in Heroë Chriſtiano tantò excellentius eſt, quantò difficilius. Nam cùm duæ ſint partes fortitudinis Chriſtianæ, agere & ſuſtinere, primas poſteriori ſapientes omnes uno conſenſu dederunt.

Ludovico hoc unum deeſſe videbatur, ut Chriſtianæ & heroïcæ patientiæ ſpecimen daret.

Tantò excellentius quantò difficilius.

Namquantum eſt Regem & Regem magnum patientẽ eſſe!

Sed quantum eſt, viri clariſſimi, quantum eſt Regem, & Regem magnum patientem eſſe? ſeu quòd Regia majeſtas, quò altior eſt, & minùs videtur obnoxia injuriæ, eò delicata magis & irritabilis ſit; ſeu quòd Reges deliciis innutriti

delicias ferè ſequantur, ut Divinam authoritatem, ita & felicitatem æmula .tes. Atqui nemo magis Rex quàm Ludovicus; nemo magis patiens quàm Ludovicus; nemo igitur magis Heros, quàm Ludovicus. Venditet nunc ſuperba Græcia Alexandrum ſuum, dimidiatum illum Heroëm: *Factus eſt Magnus*, inquit Scriptura, aut, ut ego interpretor, magnum ſe ipſe fecit, & pro magno ſe geſſit, qui magnus non erat. Nam ut primùm vulnus ſenſit, & manantem de vulnere cruorem, expalluit totus, & qui ſe Jovis Filium antè jactaverat, minor homine apparuit: jam nec dignus Philippo Macedone, quem Patrem antè dedignabatur. Sed quam divinitatis opinionem ex vulnere perdidit Alexander, Ludovicus ex vulnere acquiſivit, ſaltem ſi ex Tertulliani regulâ Divinitas metienda eſt. Magnum virum Audite in Apologetico ſuo ita arguentem. *Hoc nobis*, inquit, *qui propter Deos ipſos plectimur, ſolatium pœnarum eſſe poſſit, quòd eadem & ipſi dii patiuntur ut fiant. Quod ſimulacrum non priùs argilla deformat Cruci & ſtipiti ſuperſtructa? In patibulo primùm corpus Dei veſtri dedicatur. Si per hæc conſtat Divinitas aliqua; ergo qui patiuntur, conſecrantur, & numina erunt dicenda ſupplicia.* Ridebat Tertullianus Gentiles & Gentilium Deos, ut Martyria Chriſtianorum à contemptu & opprobrio vindicaret: ſed feriò dicamus nos, eum qui Sanctè & Chriſtianè patitur ad Chriſti veri Dei ſimilitudinem aſcendere, qui nullâ re magis Deum ſe quàm patiendo probavit. Qualis ergo & quantus Ludovicus! Non jam certè Heros, ſed Deus aliquis, aut Deo ſimilis videri poſſit. Ecce enim dolorem venien-

Divinitatis opinionem ex vulnere perdidit Alexander. Ludovicus magnus ex vulnere acquiſivit.

Eſt in patiendo divinitas aliqua.

Nam qui Sanctè & Chriſtianè patitur, ad Chriſti veri Dei ſimilitudinem accedit.

Quàm patiens Ludovicus.

tem hilari fronte excipit, teneri non vult ſecurus & potens ſui; alieno periculo timet magis quàm ſuo; inter acerbiſſimos cruciatus nihil queri auditur. O verè virum fortem Ludovicum! quem nec vaporavit ambitio, nec voluptas emolliit! ô verè ſapientem, quem Philoſophia Stoïca votis ſuis æquare non potuit. *Minùs enim eſt quod illa finxit, quàm quod iſte geſſit, & major eſt*, ut de Abrahamo dicit Ambroſius, *ambitioſo eloquentiæ mendacio ſimplex veritatis fides.*

Lib. 1. c. 2.

Ludovici ægritudo non novam ſolùm virtutem in Heroë detexit, ſed aliis quoque virtutibus novum ſplendorem dedit.

Verùm Ludovici magni ægritudo non eò ſolùm valuit, ut novam in Heroë virtutem detegeret, ſed ut aliis quoque virtutibus Regiis novum ſplendorem afferret: ſingulæ enim ad ignem tribulationis, ut ita loquar, examinatæ, auri inſtar probi de camino recentis, & plùs nitoris habent, quàm anteà haberent, & novum indè trahunt ſuæ ſinceritatis ac ſoliditatis argumentum. Nuſquàm in Deum pietas ſolidior, nuſquàm in ſuos paterna bonitas tenerior, nuſquàm in omnes Authoritas Regia ſanctior aut firmior viſa eſt, quàm in Ludovico patiente: adeò, quod ait Apoſtolus, *Virtus in infirmitate perficitur.*

Nuſquam in Deum pietas ſolidior.

*Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram*, erudimini ex Ludovico noſtro, non inſoleſcit ille in proſperis, non inflatur, quantò cæteris mortalium excelſior eſt, tantò erga Deum humilior ac reverentior. Magna hæc ſunt, ſed majus aliquid eſt, non frangi adverſis aut irritari; maximum verò, Deo inniti cùm deſerit, Deum ſequi cùm fugit, Deo adhærere cùm reſpuit: hæc eſt Ludovici ſolida pietas, Erudimini Reges, & intelligite, ut pius

Princeps ſe Deo ſubmittit; ut coram Deo ſuâ ſe majeſtate exuit; ut principatum omnem quaſi precariò acceptum Deo reſignat; ut paternam Dei ferientis manum oſculatur; ut in Deo confidit, illa Prophetæ verba uſurpans, *Etiamſi me occiderit ſperabo in eum.* Idumæi illius Principis, quem *Dei gloriæ currum triumphalem* appellabat Chryſoſtomus, tamdiu quidem fuit ſuſpecta pietas, donec gravi ulcere percuſſus in ſterquilinio ſedens, obmurmurantibus amicis, ipſique uxori ſtultè obloquenti ſapienter juxtà ac piè reſpondit: *Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſcipiamus.* Sed poſt hanc vocem generoſam, de pietate tam luculento experimento probatâ, nihil ultrà habuit tentator ipſe, quod dubitaret.

*Iob. c. 13.*

*Iob. c. 2.*

Patrem aut Dominum Ludovico meliorem Gallia non viderat: in ipsâ tamen infirmitate quæ cæteros exaſperare ſolet, Ludovicum ſenſit Ludovico meliorem. Periculi aut doloris conſcios paucos ille admodùm habere voluit; non Delphinum aut Delphinam, non Principes aut miniſtros, ne ſuo periculo, aut malo timerent, & dolerent illi quos amabat. Periculo autem tranſacto celeres nuntios miſit, ut qui ſibi ſuum dolorem uni reſervaverat, de dolore præterito gaudium omnibus faceret. O verè bonum Patrem & Dominum, nec tam Dominum, quàm Patrem! Lectus Regi pro tribunali fuit, uti ferè, quod ait Auguſtinus, *fuit Chriſto ſua Crux Tribunal Judicis*; Rempublicam non dimiſit, negotiis magis intentus quàm doloribus ſuis, ipſos etiam dolores negotiorum tractatione temperans, & *de ſtatu Eccleſiarum*, ut olim Va-

**Nuſquam in ſuos paterna bonitas tenerior.**

*Ambr. de ob. Valent.* lentinianus, *magis quàm de ſuis periculis anxius.* Otiare pauliſper, Optime Ludovice, capitale Regni & Eccleſiæ negotium eſt tua incolumitas? ſtabit Reſpublica ſi ſalvus es? in te uno tota vertitur. Sed nihil facimus; dolere mavult quàm otiari. Inter hæc nubila latere poteſt, ſed mundo negare officium, aut à curſu retardari Sol non poteſt.

Nuſquam in omnes authoritas Regia ſanctior aut firmior viſa eſt.

De authoritate Regiâ, quæ virtutum Regiarum corona eſt quid dicam? Hæc enim cùm in nullo Regum tanta umquam fuerit, quanta in Ludovico, in Ludovico ipſo quanta ſit, ex Ludovici infirmitate conſpicitur. *Cùm infirmor tunc potens ſum.* Conſtat ferè authoritas Regia & amore & timore populorum; nam ut amore ſimul & timore reguntur homines, quò plùs amatur & timetur Rex, eò plùs Regem poſſe neceſſe eſt: quantùm autem ametur, aut timeatur Ludovicus magnus, Ludovicus languens expertus eſt. Ad Regis periculum tremere omnes, quaſi unuſquiſque periclitaretur, quia *non imperatorem ſibi, ſed ſalutem ereptam putabant*, ut de Theodoſio magno dixit Ambroſius. Nec familiares tantùm doluere aut conſanguinei, nec domeſtici aut magnates, qui Regem propiori neceſſitudine contingunt; ſed ipſa infima plebs, quæ, ut beneficiis principum, ita adulationi minùs patet, luctum penè publicum fecit. Nimirùm ad Ludovici magni, ut ad Solis labores, languere omnia viſa ſunt, palleſcere, decolorari.

2. *Ad Cor.* c. 12

Ludovicus enim languens expertus eſt, & quantum ametur.

Et quantum timeatur.

Nec Solo amore populorum potens eſt Ludovicus; potens eſt & timore; timetur enim etiam languens: *Cùm infirmor tunc potens ſum.* Con-

tingit ferè Regno, ſubtrahente ſe Rege, quod mundo evenit abſente Sole. Videte autem quantam rerum perturbationem brevis aliqua Solis abſentia mundo inferat; natura iners otiatur; prodeunt ſcelera, quæ lucem reformidabant; educuntur è latebris, & impunè pertranſeunt *omnes beſtiæ ſylvæ.* Sed quantò plùs vigoris & virtutis à Ludovico venit, quàm à Sole? Ludovicus enim, etiam cùm ſe ſubtrahit, ipsâ umbrâ ſuâ omnia continet: eumdem omnia tenorem ſervare videas, nihil movere inquietos, nihil audere ſceleratos, nihil rerum novarum cupidos agitare. Ita nimirùm languet Ludovicus, ut in Ludovico Regis authoritas non langueat, ſed novas ex languore vires accipiat. Diceres Gallos quaſi benè moratos filios, componere ſe ad ſilentium altius, & ſeveriorem modeſtiam, ne optimo Patri ægrotanti levi aliquo tumultu obſtrepant aut incommodent. Sed numquid contra Ludovicum moliri auſi ſunt exteri? Conjuraſſe dicuntur, & fœdus aliquod pepigiſſe. Quale autem fœdus, Proh pudor! tam obſcurum, ut non prodierit, tam profundum, ut non emerſerit, tam fluxum, ut evanuerit. Regem etiam jacentem, ut animantia Leonem, timuerunt, adeò ut ne nomen quidem ſuum prodere conjurati audeant, nedum ſe Ludovico oſtentare: *cùm infirmor tunc potens ſum.*

Et quantum poſſit ad reformationem morum, vitamque Christianã.

Sed potens eſt præſertim Ludovicus, etiam cùm infirmatur, potens ad reformationem morum vitamque Chriſtianam à populis exigendam; quem in finem Regiæ authoritatis pondus dirigitur. Nam quis hoc crederet, Auditores, ita tamen ſe res habet, in eum finem, ſapientiſſimis

à ſubditis exigendam. legibus, ſeveriſſimis Edictis, ſanctiſſimo exemplo ſuo minùs ferè potuit Ludovicus, quàm infirmitate ſuâ; adeò ut penè dicere auſim de Ludovico, quod de Chriſto dictum eſt: *Languores noſtros ipſe portavit*, & *livore ejus ſanati ſumus.* Ad Regis enim morbum & periculum quantus animorum motus, quantus ad ſacras ædes populi concurſus, quanta ad pietatem totius Galliæ converſio! Prævaricatores redire ad cor, omnes peccata ſua expiare, omnes vota facere, omnes iratum numen placare, Deo Ludovici morbum ſic diſponente, ut de vulnere Ludovici Gallia ſancta prodierit. O Regem verè magnum, cui ipſa infirmitas in gloriam vertitur! ô Regem nimis glorioſum, cui *ceſſerunt in honorem triumphi*, ut Magni Leonis verbis loquar, *ipſa inſtrumenta ſupplicii*! glorietur cum Apoſtolo Ludovicus magnus non tam de victoriis, quàm de infirmitatibus ſuis. Ad Belgici, Batavici, Germanici, alioſque inſignes titulos, patientiſſimi Heroïs novum titulum adjungat. Sed faciant ſuperi, ut jam iſtiuſmodi nova gloria in Ludovico cumulum ſuum habuerit, novâ exercitatione nihil opus ſit. Novimus plùs quàm ſatis patientem eſſe Ludovicum; nihil ultrà volumus, ne Ludovici quidem gloriam tanto ipſius periculo emimus, ememus noſtro, ſi ſuperis placet, parati pro Ludovico & pati & mori. Sed ſalvi erimus, ſi ſalvus ille ſit; nam qui jacuit nuper infirmus in gloriam ſuam, reſurgit idem incolumis ad felicitatem publicam cumulandam; quæ pars eſt noſtræ gratulationis altera.

*Iſai. 93.*

Secunda pars. Is eſt rerum noſtrarum ſtatus, ea Galliæ facies, ut rem leviter conſideranti nihil ultra ad felici-

tatem noſtram videatur deſiderari poſſe. Erubeſcerent planè ad gloriam nepotum majores noſtri, ſi reviviſcerent; & hæſitabunt poſteri ad primam hiſtoriæ noſtræ ſpeciem, nec niſi ægrè credent ea fieri potuiſſe, quæ jam facta ipſi palpamus. Invideant nobis hoſtes & timeant, ſtupeant fœderati & gratulentur. Fruamur nos bonis noſtris, & tantæ felicitatis Authorem agnoſcamus. *Beata gens cujus Dominus Deus ejus.* Beatus populus, cujus Rex eſt Ludovicus. Beata Gallia, ô quàm ſui diſſimilis! & quantùm ab illâ diſtat, quam graſſans hæreſis adulterabat, bella civilia diſtrahebant, alieni impunè populabantur, & ſui crudeliores alienis pejus hoſte vaſtabant. Quàm diverſus eſt à cætero orbe orbis Gallicus! Circumſpiciamus finitimas gentes, & ex aliorum calamitate diſcamus bona noſtra æſtimare. Ecce, ut verbis Iſaïæ dicam, ecce illis ferè *omne caput languidum, & omne cor mœrens*, nec regere ſciunt pueri Principes & effæminati, nec ſubditi obedire. Ecce illis, *omne robur panis & omne robur aquæ* defecit. Ærarium exhauſtum eſt, & miſera plebs tributis oneratur. Ecce abſtulit illis Dominus *virum fortem & bellatorem:* Nullus exercitus, nullus imperator, nullus miles. Ecce illis *argentum verſum eſt in ſcoriam, Principes infideles, ſocii furum, pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos.* Nulla lex, nullum jus, nulla æquitas. Ecce *irruit* populus, *vir ad virum, unuſquiſque ad proximum ſuum: tumultuatur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem:* nulla authoritas, nulla concordia, nulla pax.

Reſurgit Ludovicus ad felicitatem publicam cumulandam.

Præſens Galliæ felicitas.

Circumſpice te nunc, beata Gallia, Ludovico

ſervis, digna tu quidem, quæ tanto Principi ſervias, ſed dignior ille cui tota Europa aliquandò ſerviret; tota Catholica vivis; primævam & puram Chriſti Doctrinam tota ſpiras; una tibi fides, unum Baptiſma, unus Deus, quia unus eſt, & tantus Rex Ludovicus. Alta tibi & profunda pax, quam & cives & exteri reverentur: tranquilla otia, quæ nemo turbare auſit; hanc tibi pacem, hæc fecit otia Ludovicus. Munitiſſimæ arces tuæ quas nemo expugnet; potens tibi & numeroſus exercitus, cui conjuratus orbis non reſiſtat; proſpera tibi omnia fluunt; liberum eſt & opulentum commercium, florent liberales artes; caſta judicia exercentur, legum Autore & vindice Ludovico, quid ultrà deſideras? Talem certè te Ludovicus fecit, ut nè Ludovico quidem ipſo indigere videaris, operis inſtar perfecti & conſummati, quod autoris manum ita prædicat, ut non deſideret. Plorabas quidem nuper jacentem, ſed iſtas, credo, lacrymas eliciebat amor, non neceſſitas: ita enim te Ludovicus firmavit, ut ſtare ſine illo poſſis: ita Ludovicus ipſe omnes vitæ heroicæ partes explevit, ut poſſit, ſi libuerit, in cœlum, undè venit, remeare, immortalitatis ſuæ ſecurus, & felicitatis tuæ.

Quid dico? Auditores, aut quò me imprudentem abripit Ludovici gloria & noſtra ſecuritas? Saniora loquamur, & ſenſum nimis præcipitem retractemus. Equidem Ludovico, ſi ex rerum geſtarum magnitudine Heroem æſtimemus, vita longiſſima & Neſtorea jam fuit, nemo Heroum plùs Ludovico vixit, quia intra aliquot luſtrorum anguſtias heroica tempora explevit;

diceres ex omni Heroum ætate quidquid Heroïcum eſt collegiſſe. Sed ſi ex rerum gerendarum mole Heroïs vitam metiri velimus, parùm vixiſſe dicendus eſt. Nunquam ſatis vixerit quem immortalem eſſe oporteret, & in omnes ætates ſervari, ut omnium ætatum regibus ad heroïcam virtutem dux præiret. Quod verò nos attinet, ea eſt nobis felicitas à Ludovico procurata, ut ſpem certam faciat longè melioris. Ludovicum igitur incolumem omnibus votis optemus, non ipſius tantum causâ, ſed noſtri. Nam qui jacebat nuper infirmus, in gloriæ ſuæ incrementum, ecce ad publicæ felicitatis cumulum incolumis reſurgit. Cumulus autem iſte felicitatis publicæ, partim religionis, partim rei politicæ, partim regiæ familiæ optimo ſtatu continetur, tria, ut videtis, omninò complectens. Primum eſt religionis firmitudo & amplitudo ſumma. Alterum, rei politicæ diſpoſitio optima. Tertium, regiæ familiæ inſtitutio heroica. Atqui reſurgit Ludovicus incolumis ad religionem firmandam, & ſummè amplificandam; reſurgit ad rem Galliæ politicam optimè diſponendam; reſurgit deniquè ad regiam familiam heroïcè inſtituendam. Quæ tria, ſi ut Ludovicus facturus eſt, ita fuero gratulatus, ut publicam ille felicitatem, gratulationem ego publicam cumulavero.

Per Ludovicum incolumem cumulāda. Cumulus autem iſte felicitatis publicæ partim religionis partim rei politicæ, partim regiæ familiæ optimo ſtatu continetur.

Reſurgit Ludovicus incolumis.

Magnum quidem & palmare Ludovici opus eſt Gallia Catholica, ſeu Calviniſmus in Galliâ extinctus, *à Domino* & à Ludovico *factum eſt iſtud.* Opus ſub ſole novum, cui nihil ſimile vidit orbis Chriſtianus ab ipſis Eccleſiæ natalibus. Opus arduum, quod poſteri priùs audient factum, quàm fieri potuiſſe crediderint. Divi-

Primò. Ad religionem firmandam & ſummè amplificandam. Magnum quidem opus

Ludovici Galliâ Catholi, caſeu Calviniſmus in Galliâ extinctus, ſed nondùm omni ex parte perfectum, nec perficiendum, niſi qui cœpit ipſe Deus, & per Deũ Ludovicus perficiat.

num opus, cui nemo aut moliendo, aut exequendo par erat niſi Ludovicus. Sed quantum quantum eſt heroicum illud & divinum opus, toties prædicatum & omni prædicatione majus; ſalvâ Ludovici reverentiâ dixerim, nondùm eſt omni ex parte perfectum, nec perficiendum omninò, niſi qui cœpit ipſe Deus, aut per Deum Ludovicus perficiat. Audio quidem, nec ſine indignatione audio, moroſos quoſdam noſtrorum temporum cenſores, qui paſſim garriunt Calviniſmum apud nos ſupereſſe integrum, in eo negotio nihil ſincerè aut ſolidè factum, cruſtata & larvata omnia, non defeciſſe in Galliâ Calviniſtas, aut ſi defecerint, Calviniſtis non Catholicos, ſed libertinos ſucceſſiſſe. Sic autem credo garriunt cenſores noſtri, ſeu quòd fortè malæ fidei homines malam in aliis fidem ſuſpicentur; ſeu quòd optimi principis gloriæ, malignitate neſcio quâ, invideant, ſeu quòd turbarum amantes doleant Calviniſmum præcipuum turbarum fontem eſſe præcluſum. Apage ſuſpicioſos, Apage invidos, Apage turbulentos. Demus nos gloriam Deo & Ludovico; novelli in Chriſto fratres noſtri, quondam oves errantes, magnam partem ſincerè ad ovile redierunt, Ludovico *foris ſonante, & Deo intùs compellente.* Nam quæcumque vis adhibita eſt, nec tam dura fuit ut cogeret, & ſatis acris ut ad reditum ſtimularet: ſed nihil diſſimulemus, ſuſpecta eſt aliquorum fides & fucata converſio, quis autem fucum excutiet, aut larvam detrahet? Fucum & larvam ipſi non ponent, quamdiu ſectæ ſpes ulla erit; ſed fucata & larvata ſpes illa, quâ ſibi blandiuntur, incolumi Ludovico evaneſcet. Plerique

Superſunt enim & diſſimulatores aliqui detegendi, & infirmi in fide confirmandi.

que Neophytorum infirmi in fide, novellorum germinum inſtar, irrigari opus habent, ut radices altiores agant: quis autem hîc rigat, niſi qui plantat? Ludovicus ſcilicet in novos Catholicos profusè liberalis, iiſque, ut arbuſtis recens plantatis, largiùs aquàm infundens, donec in Eccleſiâ coaluerint. Nonnulli profugi ſunt, aut obſtinati in Hæreſi obdureſcunt; quis profugos ſequatur, aut frangat obduratos? niſi qui longum fulmen habet, unâ manu liberaliter irrorans, alterâ terribiliter feriens. Inſigne eſt & recentis memoriæ quod jam dicam. Nemauſus nobilis Occitaniæ Civitas, arx illa quondam & propugnaculum erroris, cùm regiis edictis non ſatis moveretur, & Sevenenſium rebellionem conſiliis & opibus clam, ut ajunt, fovere pergeret, excidium ei ſupremum Rex minatus eſt, ut Ninive olim Jonas; ſed *plus quàm Jonas hic*, & Jonâ vehementiùs intonuit ſuum illud, *adhuc quadraginta dies*, &c. Ad regium tonitru veritatis lucem Nemauſenſes introſpexere, quaſi per denſæ nubis rimas repetiti inſtar fulguris coruſcantem. Manus & ipſi dederunt, ad pœnitentiæ aſylum ut Ninivitæ confugerunt: ſalutares regis minæ finem ſuum habuerunt? in Nemauſo everſa eſt, quod ait Auguſtinus, *altera Ninive, quæ mala erat, ædificata eſt Ninive ſancta, quæ non erat.* Galliam ita Catholicam habemus, ut omni ex parte circumjaceat hæreſis procùl arcenda, & toto orbe exterminanda, nè fortè iterum ad nos contagione ſerpat, & fiat noviſſimus error pejor priore; quis arcebit procul, & exterminabit niſi incolumis Ludovicus? in hoc enim poſitus eſt, in hoc ſervatus.

Et profugi inſequendi, & obdurati frangendi.

Et circumvicini hæretici procul arcendi totoque orbe exterminandi.

Repetite, Auditores, quod legitur Joſué c.10. Iſraël electus ille Dei populus ductore Joſué Amorrhæos profligaverat, & hoc timebatur unum, nè ad plenam victoriam dies deficeret; cùm ecce inaudito ante illum diem, ſed planè tempeſtivo miraculo, ſtetit ſol inclinato jam curſu, donec omnes Amorrhæorum reliquiæ penitùs delerentur. *Non fuit antea*, inquit Scriptura, *nec poſtea tam longa dies, obediente Deo voci hominis, & pugnante pro Iſraël.* Amorrhæos quidem noſtros jam vicimus, *conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos*; ſed plena & perfecta victoria non erit, niſi ſol noſter, hoc eſt Ludovicus Magnus ſteterit. Stetit autem & ſtabit, nec fuit anteà tam longa dies, aut erit poſteà tam longa vita. Stetit ſol & vivit Ludovicus, *obediente Domino voci hominis*, ſeu vota bonorum omnium exaudiente, donec fuerit revelata omnis hypocriſis, fracta obſtinatorum durities, fratrum novellorum fundata fides, & Gallia omnis ſincerè Catholica. Stetit ſol & vivit Ludovicus, donec Anglia horrendi pertæſa ſchiſmatis, & inviĉtiſſimi ſui Principis exemplum ſecuta, ad Eccleſiam principalem & matricem Eccleſiarum, ut loquitur Cyprianus, tota redierit, niſi ſol ſtaret, non reditura. Stetit ſol & vivit Ludovicus; donec profundas Bataviæ paludes, aut ſiccaverit, aut ranis ſuis Calvinum adhuc coaxantibus omninò purgaverit, numquam niſi ſole ſtante & calente purgandas. Stetit ſol & vivit Ludovicus, donec Germania Lutherum ſuum ejuraverit, & Mahumetum ſibi conterminum Hungaria longè propulerit, niſi Ludovicus viveret non propulſura. Stetit ſol &

Ut ſtante ſole Iſraël Dei populus Amorrhæorum reliquias omnes delevit; ita ſtante Ludovico Eccleſia Catholica, plenam de hoſtibus ſuis victoriam reportabit.

vivit Ludovicus, donec auferatur Luna Ottomanica; aut ſoli Chriſto ſubdatur, numquam niſi per Ludovicum ſubdenda. Stetit Sol & vivit Ludovicus, donec religio Chriſti orbem univerſum, ut lux ſolis, impleverit. Hæc meditatur Ludovicus incolumis. Hæc faciet, ſi vota noſtra Deus exaudierit, nec umquam fuit tam longa dies, aut vita tam longa, ut vita Ludovici, incolumis ad religionem firmandam & amplificandam, nec minùs incolumis ad rem politicam optimè diſponendam.

Traducebamur olim Galli quaſi non ſatis politici, nativo quodam gentis vitio, cui ferè plus caloris ineſt, quàm phlegmatis; ſed felicia Ludovici tempora ab eâ nos labe jam pridem purgarunt. Nam quis Politicus ut Ludovicus? non politicus ſolùm, ſed apex politicorum, & ſapientium emendator; magna ſemper, ſemper ardua; ſemper inexpectata animo volvens; in conſilio capiendo lentus, celer in promovendo, fortis & felix in exequendo, in alienis explorandis adeò ſagax, ut ei pervia ſint omnia, adeò ſuorum diſſimulator, ſecreti tenax, & loquendi parcus, ut nemini pervius ſit; quibus artibus rem politicam eò perduxit, ut ne Romanum quidem imperium feliciùs ſub Auguſto viveret, quàm Gallicum ſub Ludovico. Nam quæ ad imperii felicitatem faciunt, noſtra ſunt omnia, pacis firmitas, legum vigor, ſplendor artium, commercii facilitas. Hæc ſunt, Ludovice, tua munera, ſed nec tua, nec noſtra erunt, niſi tù nobis eadem & tueberis & cumulaveris.

*Secundò. Reſurgit Ludovicus incolumis ad rem politicam optimè diſponendam. Ludovicus enim non politicus ſolùm, ſed politicorum emendator eſt.*

*Quo ſoſpite.*

Tuebitur porrò & cumulabit jam incolumis. Pace fruimur, faciet idem, ut diu fruamur; eâ

*Stabit pax non Galliæ ſolùm.*

nimirùm pace, quam exteri nec turbare velint, nec ſi velint, poſſint. Adeò undequaque vallati ſumus, ut nullâ ex parte Gallia rimam faciat, & qui nobis excubat victor ac potens exercitus, ſequeſter ille pacis eſt, nec tam ad bellum gerendum, quàm ad tranquillitatis publicæ defenſionem comparatus: ſine cæde, ſine ſtrage, ſine ſanguine victores ſemper erimus ſoſpite Ludovico; & quod mirum eſt, iidem in altâ pace victores. Nec Galliæ tantùm ſuæ, ſed toti Europæ pacem providebit ſervabitque Ludovicus. Quippè factus eſt ille *in caput anguli* diverſos parietes ita colligans, ut illo uno jungantur, disjungendi, ſi unus amoveretur; lapis verè angularis, de quo ſcriptum eſt, aut ſcribi potuit: *Quicumque in eum ceciderit collidetur, & ſuper quem ceciderit conteret eum:* nempè in Ludovico Magno cohæret orbis Chriſtianus, diſſolvendus totus, niſi Rex noſter verè *magnus ſuper omnem terram*, omnes illius partes prudentiâ & autoritate propè divinâ immotas teneret. In tantâ Europæ pace nihil erit Galliá noſtrâ pacatius: procul à nobis erunt inteſtina bella & civilium cauſæ bellorum: Ludovicus enim ſolus Rex & ſolus in regno potens regiam autoritatem Principibus & Miniſtris ita communicat, ut non dividat; omnia movet, & à nullo movetur; omnia regit, & à nullo regitur. Sub Ludovico ſtat unuſquiſque in ordine ſuo: nam extra terminos vagari quemquam, aut inſoleſcere Ludovicus non patitur. In cœlo, ut ita dicam, Gallico ſuam ſtellis lucem Sol ita partitur, ut ſibi totam ſervet: ſingulæ quidem de Sole lucent, ſed ſole minùs, nec coram ſole lucere audent;

Sed & Europæ totius.

Procul à nobis erunt bella externa.

Bella civilia & cauſæ bellorum.

vix uni phoſphoro coram micare permittitur. Quamdiu ergo vivet Ludovicus, nihil eſt quod cœlo aut ſolem ſuum, aut ſtellarum tranquillum ordinem Gallia invideat, tranquillior ipſa cœlo & ordinatior. Procul erit à nobis veterum Duellorum furor, quo quidquid erat nobilis & puri ſanguinis temerè nimis, ne dicam ſtultè fundebatur: obtinuit jampridem Ludovicus ne quid ſimile furere audeamus, & porrò obtinebit, ut quos hactenùs coërcuit pœnarum timor, ipſa facti infamia à veſano illo furore in poſterum coërceat. Ludovico incolumi vivent Galli unuſquiſque ſuâ ſorte contenti: unuſquiſque, ut Salomonis temporibus, *ſub vite & ſub ficu ſuâ* injuriam nec faciens nec accipiens.

Procul veterũ Duellorum furor.

Pacem enim ſequetur & fovebit legum vigor, in hunc quippè finem ſervatus eſt Ludovicus, ut leges ferat & vindicet, in ferendis ſapiens, ſeverus in vindicandis. Ut ſuprà Juſtinianum & Theodoſium ſapit, codicem ab illo expectemus Theodoſiano & Juſtinianeo meliorem: expectemus jus Gallicum Romano ſanctius, tantæque autoritatis, ut jus omnium gentium aliquandò eſſe poſſit. Sed niſi diu viveret Ludovicus promulgato codici, aut promulgando quid fieret? Ut lege ligantur homines qui ligari non amant, niſi longo uſu manſuefacti & quaſi cicurati ſervire legi didicerint, legem ferre vix poſſunt, novam præſertim; ſed cùm primùm laxari ſe ſentiunt, jugum legis excutiunt, & licentiam vivendi effrænem ſequuntur, torrentis inſtar aggere impediti, & ipſo obice intumeſcentis, rupto enim obice liberiùs quàm antè, & licentiùs diffunditur. Soſpes ergo &

Pacem ſequetur & fovebit legum vigor.

incolumis ſit Ludovicus donec optimi Principis leges contra torrentem iniquitatis longiſſimi temporis ſpatio præſcripſerint.

Vigorem legum novus artium ſplendor excipiet.

Vigorem legum novus artium ſplendor excipiet incolumi Ludovico, ſeu novam ille materiam in dies ſuppeditabit, quâ ſe viri litterati exerceant, ſeu præmiis & honoribus magnorum ingeniorum induſtriam acuet, ſeu Academias & fundabit novas, & veteres inſtaurabit, ſeu providebit ſapienter, ut ſuum honorem ſervent principales & matrices Academiæ, neque, ut ferè fit, magnarum inſtar arborum, adnaſcentibus undequaque ſurculis exſugantur & exareſcant.

Et major Academiæ Toloſanæ gloria.

Commemorabam olim & rememorandi locus eſt aliquis, quantùm ſplendoris à Ludovico Academia Toloſana acceperit. Videte, ut ſapientiſſimi regis edictis ſua Scholis frequentia & celebritas reddita eſt; profeſſorum numerus auctus, viri clariſſimi profeſſoribus aggregati, Gallicum jus Romano additum, eique docendo novus profeſſor deſignatus, dignus Auguſti temporibus & Senatu Romano, ſi non Ludovicus Auguſto, aut Senatus noſter Romano præſtaret. De nobis à Ludovico in Academiam, cooptatis nihil dicam, quia nobis unis eâ cooptatione gratia facta eſt, non Academiæ, nec à nobis quidquam ſplendoris in Academiam, ſed plurimùm in nos ab Academiâ derivari crediderim. Age ergo nunc, Rector Academiæ ſapientiſſime, qui fuiſti noviſſimus omnium in Academiam aſcriptus, hodiè ad gloriam Ludovici Dux Academiæ opportunè inventus es. Tua enim electio & Ludovici laus aliqua eſt, & ſumma Academiæ commendatio, ex te nimirùm omnes intelligent, ſub Ludovico Magno Aca-

demiam Toloſanam in delectu profeſſorum ſolius meriti rationem habere, & ſemper habituram. Agite nunc Theologiæ magna lumina, divini profeſſores, divinam illam ſcientiam, quâ religio ſtat & continetur, pergite, ut hactenùs feciſtis, ſanctè & dignè Deo profiteri. Eſtote Ludovici coadjutores & coapoſtoli, religionem defendite & amplificate, quam ille amplificat & defendit, Rex verè Apoſtolus & Sacerdos, Apoſtolicum & Sacerdotalem animum gerens, quod de magno Theodoſio tam magnificè prædicabat Ambroſius. Agite Juriſprudentiæ Patres conſultiſſimi. Ludovicus incolumis eſt, pergite leges interpretari, ſeu novas, quas Ludovicus ipſe ſanxit, ſeu antiquas, quibus autoritatis ſuæ novum robur addidit, vobis interpretantibus nemo eſt, qui ignorare poſſit, nemo qui violare auſit, Ludovico vindice: neque vos fidei aut diligentiæ veſtræ pœnitebit in veſtro munere fungendo; faciet enim ille, nè aliorum negligentiâ & prævaricatione vobis fraudi ſit, quod univerſæ Galliæ tantoperè utile eſſe experimur. Agite & vos, Medicinæ Profeſſores clariſſimi, incolumi Ludovico vigeat per vos ars illa divina, eo præſertim nomine nunc honoranda, & de orbe Chriſtiano optimè merita, quòd illius ope ſalvum habemus & incolumem Ludovicum. Agite, liberalium artium profeſſores ingenioſiſſimi, naturam ſcrutamini, & ſubjicite ingenio, quam Ludovicus Imperio ſubjecit. Novam ille & amplam materiam parat ingeniis veſtris, nova vos & ampla tantæ materiæ ingenia parate. Agite deniquè viri omnes Academici, Academiæ alumni, gau-

dium noſtrum & corona noſtra, nè pigeat vos pulveris aut laboris Academici, incolumi Ludovico, & ſuus erit pulveri honor, nec ſua merces labori deerit.

Ad artium ſplendorem accedet commercii nova facilitas

Ad artium ſplendorem accedet commercii nova facilitas & quæ ex commercio ſequitur opulentia; Ludovicus enim utriuſque maris Rex, incolumis eſt. Aperientur ergo nobis & plana erunt Maria omnia, ſeu Pyratis infeſta, ſeu infamia naufragiis, jungentur diviſa, & prout res feret, conjuncta dividentur: ducentur paſſim faciles alvei, & venarum inſtar toto regni corpore diffundentur, ut habeatur illa rerum omnium circulatio, quâ politicum corpus nutritur, & vigor imperii continetur. Evenit tandem Galliæ, quod futurum promiſit Iſaias Hieroſolymæ. *Replebitur* nimirùm *terra argento & auro, & non erit finis theſaurorum ejus*, Sed hæc commemorare Chriſtianus Orator erubeſceret, niſi hæc ipſa, & artium liberalium legumque præſidia, & religionis quædam firmamenta eſſe intelligeret.

Et quæ ex commercio ſequitur opulentia.

Votum de Auguſto.

Octaviano Cæſari Auguſto, quem adhuc vivum, *Patrem patriæ*, dixerat Senatus, templa defuncto conſecravit, cunctis tamen vulgò jactantibus, *Utinam, aut non naſceretur, aut non moreretur:* Alterum enim peſſimi incepti, exitus præclari alterum. Pater quidem Patriæ jampridem Ludovicus dictus eſt, nec minùs Auguſto dici meruit, eique Gallia, ſi religio permitteret, ut Roma Auguſto, templa conſecraret: ſed vulgaris illius dicti de Auguſto jactati, *Utinam, aut non naſceretur, aut non moreretur*, partem unam pro Ludovico retineri volumus, exci-

pimus alteram, propriam Auguſto, nec Ludovico communem : quantum enim fuit omnium votum ut naſceretur Ludovicus, tantum eſt & longè etiam majus, ut numquam moriatur: de Ludovico jactetur, *Utinam & ſemper vixerit & numquam moreretur,* vivere enim ſemper debuit, & numquam mori deberet: nam ſi ſemper vixiſſet, Galliam ſemper felicem habuiſſemus, quam miſeram aliquandò habuimus: ſi numquam moreretur, numquam illa felix eſſe deſineret.

Quatenùs Ludovico conveniat.

Nec verò unquam deſinet, Ludovicum enim habebimus multiplici nomine immortalem, ſed eo præſertim, quòd ſui ſimiles poſt ſe relinquet, in quibus regnare perget, etiam cùm apparere deſierit; reſurgit enim incolumis ad heroicam regiæ familiæ inſtitutionem, quo vel uno felicitas publica cumulabitur.

Regia quidem regum noſtrorum familia antiquitate & nobilitate cæteris omnibus, quæcumque in orbe principatum obtinent, tanto præſtat intervallo, quantò plebeiis nobiles, aut privatis principes præſtare ſolent. Sed ipſa eadem familia Ludovici temporibus ad eum ſplendorem aſcendit, ut jam penè originis ſuæ oblita, & jam altera priore longè Auguſtior videatur; *& erit gloria domus iſtius noviſſima pluſquam prima*; tot enim Auguſtos principes numerat, ut iis non ſufficiat orbis, nec jam reges regnis, ſed regna regibus defutura timeamus. Verùm quia Principes noſtri magnam partem tenelli adhuc & rerum inexperti ſunt, magno inſtitutore opus habent, à quo præcepta ſimul & exempla regnandi accipiant. Reſurgit in eum finem Ludovicus incolumis, quantus autem inſti-

Tertiò. Reſurgit Ludovicus incolumis ad heroïcam regiæ familiæ inſtitutionē. Gloria domus regiæ ſub Ludovico.

Quantus Auguſto-

ſum inſtitutor Ludovicus.

tutor ille *Divûm Pater atque hominum Rex*, ille alter, *Deus Deorum in Sion!* Sereniſſimus quidem Delphinus quantus ſit, vel ex hoc uno æſtimemus, quòd ſub tanto Rege longo experimento ad regnandum prælūdit, nec durum illi experimentum eſt, quando regnat ipſe & in Patre & ſub Patre, idque ſecuriùs & auguſtiùs quàm ſi ſolus regnaret. Regnet diu filius in Patre, & per filium Pater; regnet Filius amore tanti Patris, à quo amari, plus quàm regnare eſt; regnet Pater per filium, eumque filium quem habere obſequentem, pro novo imperio eſſe poſſit. Creſcat intereà Burgundus, creſcat Andegavenſis, creſcat Bituricenſis, creſcant Auguſti Principes, ut Delphini Patris exemplo in Ludovicum intueantur, & ſub tanto Magiſtro regnandi artem ediſcant. Creſcant Auguſti Principes, donec Ludovicum omni ex parte repræſentent; neque nos deſerat Ludovicus, donec ſe finxerit totum in ſingulis, nobiſque & regni ſucceſſores, & regiarum virtutum hæredes providerit. Regnet in poſteris Ludovicus magnus; ſi quando ipſe regnare fatigatus imperii habenas ultrò dimiſerit; ſed aſſiſtat ſemper orbi Gallico magna Ludovici mens, ut uno Ludovici ſpiritu imperii moles agitata eodem ſemper tenore moveatur; hic erit cumulus fecilitatis publicæ, hic finis gratulationis noſtræ.

Votum pro Ludovico. Pro Sereniſſimo Delphino.

Pro tenellis Principibus.

Nam quid hodiè gratulari debeamus, memori magis ſenſu tenendum, quàm longiori ſermone explicandum intelligo. Gratulemur Ludovico præteritam infirmitatem novæ gloriæ amplam ſegetem: gratulemur Heroi noſtro, quòd ſcopulum illum quò virtus heroica allíditur, &

Tota gratulationis hodiernæ materia

ferè frangitur, non modo prætererit ſapienter; ſed fortiter ſuperaverit. Gratulemur & nobis felicitatem noſtram, non præteritam illam, aut præſentem, ſed quam futuram prægustamus præteritâ & præſente meliorem. Vivit Ludovicus & Ludovicus incolumis; ergo & familiæ regiæ, ergo toti Galliæ, ergo Eccleſiæ unverſæ meliùs quàm antè futurum eſt. Vivit Ludovicus incolumis, ergo familiam regiam ſanctè inſtituet, & ad omnem virtutem formabit, Borboniæ gentis caput, Auguſtorum Pater & avus amantiſſimus. Vivit Ludovicus incolumis, ergo Galliæ ſuæ rem politicam optimè conſtituet ac diſponet, politicorum Princeps ſapientiſſimus. Vivit Ludovicus incolumis, ergo Eccleſiam Chriſti defendet & amplificabit, Eccleſiæ filius primogenitus Rex Chriſtianiſſimus; ipſâque re & veritate, non titulo aut umbrâ Catholicus. Sed Ludovico & nobis ita gratulemur ut DEO OPTIMO MAXIMO omnium bonorum autori & Ludovici gloriam, & felicitatem noſtram referamus. Gratia Dei eſt Ludovici infirmitas tam ſanctè tolerata. Nam pius Princeps *ex iis quæ paſſus eſt didicit obedientiam*, ut de Chriſto ipſo dicebat Apoſtolus; ipſo nimirùm uſu & exercitatione didicit, quod præceptione ſciebat; nec didicit ille ſolùm, ſed exemplo ſuo nos docuit, Deo obediendum eſſe, cui magni etiam reges obediunt, & ſub quo *curvantur qui portant orbem*. Gratia Dei eſt Ludovici incolumitas ad felicitatem publicam reſurgentis. Omnibus iſta gratia communis eſt, & magis noſtra, quàm Ludovici. Sed caveamus ne, quod ferè fit, gratia quæ ab omnibus accipitur, à nemine redda-

*Sub uno aſpectu ponitur.*

*Quæ eſt eadem materia gratiarũ actionis.*

*Ad Hebr. 5.*

tur. Reddamus omnes gratiam quam omnes accepimus. *Extollite* igitur populi *manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* Date Sacerdotes, & Miniſtri Domini, date ſacra myſteria; miniſtrate Sacramenta cæleſtia, Ludovicus incolumis non tam floribus laudum aſpergendus eſt, quàm Chriſti odore perfundendus. *Spargant alii plenis lilia calathis*, ajebat Ambroſius, *lilium nobis eſt Chriſtus*, non potuit nobis donari majus aliquid Ludovico ſoſpite & incolumi, Chriſto jam immolato nihil poteſt à nobis majus rependi.

In ipſo æſtu felicitatis & lætitiæ communis eſt aliquis timori locus.

Sed in ipſo æſtu felicitatis noſtræ & lætitiæ communis aliquis ſit timori locus: timeamus quod Valentiniano ſuo timebat Ambroſius, timeamus, nè nobis Ludovicus aliquâ noſtri offenſione rapiatur: nuperam ægritudinem ut comminationem divinam interpretemur, reformemus mores noſtros, & ſi noſtri causâ non ſapimus, Ludovici causâ ſapiamus. Optimo Principi grave imperii pondus quod ſuſtinet levemus pro parte noſtrâ humili facilique obſequio, & ſuſtinentem nos, votis noſtris viciſſim ſuſtentemus. Meliorem Ludovico Principem non deſideremus; non deſideret ille ſubditos nobis meliores.

Votum & præſagium pro Ludovici incolumitate.

Vive igitur nunc, optime LUDOVICE, & diu vive; vive, ſi opus eſt, de noſtris etiam annis, qui tam præclarè fungeris tuis. Rex in æternum vive, vive felix, vive ſecurus: nam *qui habitas in adjutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commoraberis.* Dixiſti Deo nuper. *Suſceptor meus es tu, refugium meum & liberator meus, Deus meus, ſperabo in eum.* Deus viciſſim,

*ſcapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis ejus ſperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris; ab incurſu & dæmonio meridiano. Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Hæc tua ſunt, Ludovice, nec minùs tua quæ ſequuntur. *Quoniam in me ſperavit liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum, longitudine dierum adimplebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.* Hæc ſunt Divina promiſſa; hæc vota noſtra; promiſſa ſua impleat, vota noſtra exaudiat, qui eſt benedictus in ſæcula.

# DE PRÆCIPUO CARTESIANISMI DOGMATE.

## DISSERTATIO ACADEMICA.

*Videntur habere animantes vim naturalem in quavis animi affectione.* Ariſt. Lib. 9. Hiſt. animalium.

De Brutorum formâ duæ extremæ ſententiæ.

Una rationē in brutis agnoſcit, ita ſentiendi cauſæ plures.

DE Brutorum formâ duæ ſunt extremæ ſententiæ, ex æquo falſæ ambæ, non tamen ex æquo improbabiles: ſtat inter utramque *crucifixa veritas*, ut cum Tertulliano loquar, *duos inter latrones*, hoc eſt, errores duos, quorum neuter bonus eſt, & alter deterior altero, Auditores. Sunt igitur, aut fuêre aliquandò, qui de Brutis animantibus ſupra meritum earum ſentientes, in iis rationale aliquid, imò aliquid humano majus, ac propè divinum agnoſcerent. Cujus ſententiæ cauſas exquirere ſi lubet, plures invenio. Primùm enim potuit, in eo eſſe grati animi religio quædam, ſcilicet uſui hominum Brutæ ani-

Prima. Grati animi religio quædam.

mantes cùm perpetuò ſerviant, ſervire ipſi homines viciſſim, & quaſi gratificari brutis voluerunt. Hinc, credo, eſt quòd Ægyptii conſecrârunt omne beſtiarum genus; ipſique Romani Anſerem, animal alioqui ſtolidulum, quia illius clangore ſervata urbs fuerat, coluerunt. Deindè eò traxit aliquos veſana quædam libido, & puerilis amor Beſtiarum. Nam ſunt, Auditores, qui catellum, qui paſſerculum, qui Gallinulam in deliciis habeant. Hi verò ſuos ut amores nobilitent, aut excuſent, neve aliquid indignum ſe amare videantur, de belluis homines quodammodo faciunt. 3°. Fuit quoque in eâ re odium quoddam generis humani: nam quæ alia cauſa Neronem movere potuit, ut in opprobrium naturæ noſtræ, equum ſuum conſulem renunciaret. Num beata veſtro judicio reſpublica! cùm illam equus conſul, Nero regeret Imperator; & Imperii habenas tenerent ambo, qui ambo frænis tenendi erant; incertum tamen adhuc utro Roma Beatior, tali conſule, an tali Imperatore. Sed ô! vere annum terque quaterque memorabilem, quem Neronis & ipſius equi Conſulatus notabat. Quarta demùm cauſa, eaque Philoſophica magis eſt, eorum motuum, qui in animalibus obſervantur, cum humanis motibus ſimilitudo, ſiquidem fecit ea res ſuſpicionem Principii non abſimilis.

Secunda. Veſana quædam libido & puerilis amor beſtiarum.

Tertia. Odium quoddam generis humani.

Quarta. In motibus brutorum obſervata ſimilitudo cum humanis motibus.

Dixit certè Ariſtoteles in animalibus, maximè in parvis, elucere ſpeciem quamdam intellectus; ſed alii ſpecie non contenti, ipſum quoque rationalem intellectum brutis ineſſe dixerunt; adeò ut non erubuerit aliquis ſæculi ſuperioris, libellum inſcribere hoc Titulo, *quod*

*bruta meliùs, quàm homo ipſe, ratione utantur.* Atque hic primus error fuit, hæc principia errandi. Sed quia paucorum eſt, nec adeò periculosè ſerpit ætate noſtrâ, nil opus habet præſenti remedio.

Altera. De brutis mera automata facit omnē illis animam & vim ſentiendi negans.

Altera & longè alia ſententia eſt, noſtratium Philoſophorum, qui brutis animam omnem, vimque movendi ſe interiùs, & ſentiendi, negantes, mera Automata putant eſſe, & ſupra horologia benè compacta, ſupra hydraulica, vel pneumatica organa, nihil habere, niſi aliquid artis, ſenſus & cogitationis nihilò plus habere, hoc eſt omninò nihil. Nemini impono, Auditores, ita Carteſius cum ſuis ſequacibus, iiſque benè multis; Nam eſt Carteſianiſmus popularis quidam noſtrorum temporum morbus, non minùs quàm tertianæ aut quartanæ febres, Philoſophorum ingenia pervadens, atque inficiens.

Eò ventum eſt ſeu prioris ſententiæ odio ſeu faſtidio Philoſophiæ veteris, ſeu politicâ quâdam, ſeu neceſſitate conſequentię ex principiis malè poſitis.

Quamobrem autem eò venerint Novatores Philoſophi, ſic ego quidem conjicio. Fortè odio prioris ſententiæ, incautè nimis dum ſcopulum unum fugerent, impegere, ut ferè fit, in alterum Fortè cepit novos homines faſtidium veteris Philoſophiæ, gliſcenſque adeò amor novitatis, ut jam, non quod verum eſt placeat, ſed quod novum. Fortè etiam politicè faciunt, timentque nonnulli, ne ſi ſolâ ratione homo beſtiis præcellat, nihil ipſi aut parùm à Beſtiis diſtare videantur, qui tam parùm, aut tam nihil rationis habeant: ſin autem beſtiis ſenſus omnis negabitur, timere deſinent, probè ſibi conſcii, vitæ ſenſitivæ partes omnes quàm integrè expleant, & quàm negligant officia vitæ rationalis. Sed Carteſio viro honeſto imprimis & ingenioſo quæ

cauſa

cauſa errandi fuit? Iſte, Auditores, cùm novæ jeciſſet Phyſicæ fundamenta, & quaſdam de ſuopte ſenſu naturæ leges præſcripſiſſet, vim deindè reclamanti naturæ facere maluit, quàm leges ſuas retractare, aut moderari; & porrò, ad eas omnia tam ſeverè exegit, ut cùm bruta repugnarent, brutis omnibus animam vitamque omnem unâ concluſione ademerit, inaudito ſeveritatis exemplo.

Contra hoc novi ſyſtematis portentum, faſtigiumque Philoſophiæ, ſic hodiè diſputo, tamquam contra ſententiam non modo falſam, ſed omninò etiam improbabilem, quæ nec verum habeat, nec colorem veri. Duobus capitibus diſſertationem complector. Primùm quidem demonſtrabo, quàm parum, aut nihil veriſimilitudinis habeat hæc Carteſii ſententia. Deindè verò oſtendam, quàm nihil habeat veritatis. Utrumque autem ſinceriſſimè; nec prævaricabor in causâ communi, ſicuti contigiſſe dolemus Pardiæo noſtro, viro toti Galliæ notiſſimo; qui Carteſium dum refutare voluit, ita illuſtravit, ut confitentibus etiam ipſis Carteſianis, Automatorum opinio non plus debeat Parenti Carteſio, quàm Pardiæo illuſtratori.

*Contra hanc ſententiã non modo falſam ſed omninò improbabilem diſſertatio inſtituitur in duas tributa partes.*

Dico igitur primò, & ſincerè dico, tam parùm habere veri-ſimilitudinis Carteſii ſententiam, ut improbabiliùs philoſophetur, qui brutis vim omnem cogitandi neget, quàm qui iiſdem tribuat vim ratiocinandi. Rem conficio unico Enthymemate. Brutorum mirabiles effectus, vel probant ipſis ineſſe aliquem rationis uſum, vel certè hujus rei tantam ſuſpicionem ultrò ingerunt, vix ut intelligi poſſint ſine ali-

*In primâ parte demonſtratur quâm parùm habeat veriſimilitudinis ſententia Carteſii.*

quo ratiocinio. Ergo, ſi veriſimilitudo quæritur, improbabilius eſt, bruta mera eſſe Automata, quàm ratiocinari.

Ex mirabilibus brutarum animantium motibus. Qui vix intelligi poſſunt ſine aliquo ratiocinio.

Conſequentia patet; hærendum igitur mihi eſt in antecedente. Sed ne quis nobis litem intendat, verſamur enim in urbe, & in ſcholâ litium, hoc primùm profiteor, nequaquam favere me illorum errori, qui bruta ratiocinari volunt. Placet dumtaxat errorem cum errore committere, ut error pellat errorem; ſuiſque ſe armis invicem conficiant, ſpectante magis, & ridente, quàm pugnante veritate. Suppono ſecundo, quidquid in brutis rationem arguit, arguere idem gradum aliquem cognitionis; cùm à ſpecie valeat conſequentia ad genus, & in quo ſpecies ineſt, ineſſe & genus neceſſe ſit. Hoc igitur ſolùm evinco, vigere ſenſum aliquem & cognitionem in brutis, quæcumque tandem illa ſit: ſi quid ultra contendere videbor, id faciam juxta Philoſophum; qui libro 2. Eth. *Via*, inquit, *deveniendi ad medium eſt aliqualiter procedere verſus extremum.* Et de me omnium minimo uſurpari velim, quod de magno Auguſtino paulò acriùs diſceptante contra hæreticos, vir magnus dictitabat. *Plus dicit Auguſtinus, & minùs vult intelligi.* His ita præmiſſis, venio ad probationem antecedentis.

Nam quoties obversant oculis iſtiuſmodi animantes toties judicamus & vivere, &

Utinam ſe nobis hîc coram, ut olim Adamo, ſiſterent animantes omnes, accepturæ ſingulæ ſuum nomen: utinam in hanc aulam, velut in Noëmi Arcam, in communi periculo confluerent, aut de caveâ prodirent in arenam, pugnaturæ pro animâ ſuâ. Placerent ſpectaculo, & vincerent. Sed quandò talis ſpectaculi non eſt hîc

locus, repetite animo hiſtoriam animalium, qualem aut legiſtis apud Ariſtotelem, aut qualem dedit in ſuo Hexâmero Baſilius, & ex Baſilio Ambroſius exſcripſit. Revocate ſaltem animalium exempla domeſtica, hæc ſufficient. Ut ludunt luctanturque inter ſe catelli veſtri; ut feles muribus inſidiantur; ut canis leporem ſequitur; ut hirundo nidificat; mellificant apes; diligentes formicæ in horrea congregant; texit araneus; ſericum Bombyces ordiuntur. Teſtor vos veſtrámque fidem, A A, quoties oberrant oculis ejuſmodi animalcula, num toties contra Carteſium concluditis, & vivere illa, & ſentire, ac penè ratiocinari. Undè ſic arguo. Id quod omnibus primo ſtatim aſpectu videtur eſſe, profectò magnam habet veriſimilitudinem, iſta enim prænotio, & anticipatio generalis, demonſtrationis loco eſſe poteſt. Diſtinguit Carteſianus, id quod primo aſpectu videtur eſſe omnibus ſtrictè & Philoſophicè judicantibus, concedit, judicantibus populariter, & juxta ſenſum communem, negat. Ignarum ſcilicet vulgus non adeò res introſpicit, hærétque in primo rerum colore, & ſuperficie. Nos, inquit, Philoſophi & ſapientes non item; ſed ſcrutamur ad medullas uſquè veri. Sed contra. Atqui Philoſophis item & ſapientibus videntur bruta vivere, ſentire, & ferè ratiocinari: Ergo nulla diſtinctio. Probo ſubſumptum.

Vides, jactis fundamentis ædificari domum, inſtare operi artifices, ſurgere mœnia, quid ais? Num caſu fundamenta jaciuntur, & fortuito concurſu ſeſe lapides agglutinant? Minimè verò, inquis, ſtupidæ cujuſdam cauſæ, aut inanimis

ſentire illas, ac penè ratiocinari.

Quæ prænotio & anticipatio generalis demonſtrationis loco eſſe poteſt.

Neque hîc vulgi tantùm ſed ipſorum ſapientum communis ſenſus eſt.

Fundatus in operibus brutorum in quibus tantùm ar-

tis conſilii & induſtriæ apparet, ut non niſi à cauſâ cognoſcente fieri poſſint.

tantùm inſtrumenti res iſta non eſt, ſed ſapientis Architecti. Benè tu quidem; ſed Philoſophare conſequenter. Volucres cœli domos ſuas habent, hoc eſt nidos quos extruunt: aliæ in ſpeciem pilæ abſolvunt; aliæ ſuſpendunt arboribus, in modum Cyathi; aliæ ſupinos amant; aliæ obliquos; modo ad Auſtrum; modo ad Aquilonem obvertunt; nunc Soli orienti feneſtras pandunt; nunc occidentem patulis rimis excipiunt. Hæreamus paulò diutiùs in contemplandâ hirundine; quando hæc ſola totum tenebat Ariſtotelem. Viden ut cretâ paleas incruſtat, ſi lutum deeſt, madefactis aquâ pennis pulverem diluit, & lutum facit; nidum ſtramento roborat, mollibuſque plumis ſternit, ne aut natis pullis durior ſit, aut fovendis ovis frigidior. Sed quantam curam habet niduli conſervandi! quantum amorem reviſendi! Voluit experiri prudens mulier cædémne eſſent hirundines quæ redirent, captæque unius pedem aureo filo devinxit: eadem verè ſequentis anni reverſa eſt. Iterùm argumentor. Operum in quibus plurimùm apparet artis, conſilii, atque induſtriæ, quærenda eſt cauſa cognoſcens etiam viro ſapienti; atqui niduli avium, apum alvearia, horrea formicarum, aranearum telæ, aliaque id genus, plurimùm artis habent, conſilii, atque induſtriæ: cauſam igitur habent cognoſcentem, nec aliam ſanè creatam habent, quam ea quæ dixi animalcula. Hæreat hîc adverſarius, vel ipſis aranearum telis impeditus. Ad majora venio.

Subſtantiæ ratiocinantis actus

Subſtantia ratiocinans inter cæteros actus, duos habet inſignes & capitales. Primò, aliud ducit ex alio; quod eſt intellectûs. Secundò,

agit propter finem; quod eſt voluntatis. Examinemus num utrumque brutis convenire videatur: conſtabit tota res ex pauculis aliquot exemplis, quorum vel nuda expoſitio, luculenta probatio eſt. duo, a'ind ducere ex alio, & agere propter finem

Utrumque brutæ animantes habere videntur, ut apparet in corniculâ nucem frangente.

Cornices prehenſam nucem tollunt in ſublime, itáque ſublatam, exindè dejiciunt in ſaxa, in tegulas iterùm, iterùmque, donec repetitis ictibus nux ad cautem ſæpiùs alliſa frangatur. Ecquis dixit corniculæ latêre nucleum intra duriſſimum corticem? Quis docuit artem frangendæ nucis? Quis monuit, ſi primo jactu non fran-[illegible], ſecundo aut tertio fractum iri? Numquid p[illegible]poſitionem complexam habet, ſi nux in ſaxa decidet, frangetur? Neque porrò deeſt illi alia, quam minorem appellamus; ſi nucem dimiſero, in ſaxa decidet. Cur non igitur iſtam elicere putetur conſequentiam, ergo frangetur nux, cùm adeò prona & obvia illa ſit, ut poſitis, quod ajunt, ſemel præmiſſis, ſuſpendi omninò nequeat.

In vulpe quærente aquam congelatam quâ tranſeat aut pulices ſubtiliter mergente.

Nec faciles tantùm, aut ſimplices ratiocinationes videntur habere bruta; ſed longas etiam, atque perplexas. Nam quid agit vulpes congelatam aquam tranſitura? Quid, quæſo, aurem admovet quaſi gelu craſſitudinem conjectans? Nonne ſic ſecum arguit: ſi denſa eſt glacies, ſufficiet utique ponderi corporis ſuſtinendo. Sed denſa hîc eſt. Et minorem ſic probat. Quia ſi denſa non foret, audiretur murmur ſubterlabentis aquæ: atqui non audio. Remque ut tangat experientiâ, aurem admovet, & ſecura pertranſit. Vulpinum ſincerumque argumentum. Utinam non alio ſophiſmate gallinas noſtras ir-

retiret. Habet doloſa vulpecula mille nocendi artes notas omnibus, & mille non notas. Lepidum imprimis eſt, quâ ſe arte à pulicibus expediat. Ore ramulum capit, ac ſeſe paulatim à caudâ incipiens immergit in flumen; quò fit, ut pulices, dum frigidam ſentiunt, ad extremum vulpini capitis verticem recedant omnes, ac tandem ſequente aquâ, in ramulum, velut in aſylum, confugiant. Tum verò ramulum cauta dimittit; in quo, ut in nave onerariâ, dum merguntur pulices, aut fluctuant, libera interim vulpes emergit in ſiccum. Vultis jungamus ſtolidum animal cum aſtuto? Thaletis aſinus, ut ferunt, cùm ſale onuſtus flumen tranſiret, ſolebat pariter immergere ſe, expertus nimirùm ex liquato per aquam ſale plurimùm levaminis. At Domino, cui res iſta fraudi erat, nec placebat delicatioris beſtiæ mollities, in mentem venit, aſinum non jam ſale ut antea, ſed ſpongiis, laniſque onuſtum dimittere in flumen. Hic vero noſter aſinus tantiſper aſinum ſe probavit: nam rerum ſimilitudine captus, nihilque ultra ſacci ſuperficiem videns, in aquam ſe, nihil mali cogitans, de more immerſit: ſed miſer ſpongiis, laniſque aquam accipientibus ita gravatus eſt, ut vix indè, nec niſi totus elumbis emergens, reliquum diem melancholicus egerit, demiſſò capite; quæſitâ diu inter utramque merſionem diſparitate, nec inventâ, id tamen poſthac prudenter cavit, ne ſe onuſtus in flumen mergeret. Errat fortè quis in ſiticuloſâ regione, ſitis hominem urget, nec quidquam ſuccurrit ad extinguendam ſitim, præter altum puteum. Nihil præſtò eſt, quæ aquam extrahat,

In aſino quantumvis ſtupido mergente ſe ad ſal, quo onеſtus erat, liquandum.

periculum in deſcenſu putei magnum; quid faciet miſer in his anguſtiis, cùm ei & moriendum ſit, ut bibat, & bibendum, ne moriatur. In ſimili caſu quid corvus invenerit, audite. Sitibundus, nullâ in propinquo compertâ aquâ, cùm in ſitulam monumenti pluiſſe cerneret, nec auderet in ſitulam deſcendere, eò lapides conjecit, dum aqua ad eam altitudinem tolleretur, quæ ſufficeret potaturo. Nam ſciebat iſte impoſſibilem eſſe naturaliter penetrationem corporum; atque adeò lapides cum aqua penetrari non poſſe. Sciebat præstereà, lapides, quia graviores ſunt aquâ, infra aquam deſcenſuros: ex quibus duobus principiis ſic inferebat. Ergo intumeſcet aqua aggeſtione lapidum, & ſurſùm efferetur. Atque iſtud, *Ergo*, *Ergo*, &c. Tamdiu ſicco ore crocitavit, donec ad elevatam ſenſim aquæ ſuperficiem fructum libavit induſtriæ ſuæ; æſtúmque capitis, cùm à ſole, tum, quod ego crediderim, ab inventionis ardore, & contentione ratiocinii conceptum refrigeravit. Dignus planè ſociari cum illo alio, qui Tiberium Cæſarem, dein Druſum Germanicum, mox tranſeuntem populum Romanum ſalutabat; eratque urbanitatis nomine carus adeò & pretioſus Romanis, ut interemptorem illius morte damnaverint; dignamque duxerint avem, cui celebrarent exequias, duorum Æthiopum humeris impoſitam longo funere comitantes, præcedente tibicine, jactiſque florum corollis, ad ſecundum uſquè lapidem, ubi rogus ſtructus fuerat. Quid hæremus igitur? Fateamur inviti quod res eſt: videntur habere brutæ animantes ſuum *Ergo*, habere & ſuum *propter*; quibus duabus particulis

In corvo ſitibundo aggerente lapides ad attollendam aquã.

Aut ſi mavis in corvo illo urbano qu Tiberium Cæſarem, Druſum Germanicum, & populum Romanum ſalutabat. Habẽt brutæ animantes, aut habere viden-

tur ſuum *Ergo*, & ſuum *Propter.*

totam vim ratiocinationis & electionis Philoſophi concluſimus; videntur hàbere diſciplinam ſuam, intelligentiam linguarum, memoriam, reminiſcentiam, ſenſum virtutis, ac totam demùm ſubſtantiæ ratiocinantis ſuppellectilem.

Quod ſatis & glorioſè nimis evincunt communia & puſilla animalcula.

Animalibus uſus ſum hactenùs & communibus & puſillis. Non adduxi ex Arabiâ Phœnicem ſuâ ſingularitate famoſum, non Africæ quæ circumferuntur vel monſtra, vel miracula, non grandia Cete Oceani, non imitatores & colluſores hominum Simias, non Turrigeros Elephantes. Ab his omnibus abſtinerem libens, tum quia victoria noſtra plùs habitura eſſet gloriæ, ſi, ut Pharaonis ſuperbiam locuſta & Bruchus, ita novorum audaciam Philoſophorum & inſanas opinionum moles, Formica, Culex, Araneus, apis argumentoſa, pulviſculus animatus dejiceret: tum quia verum omninò eſt, quod ait Plinius, naturam nuſquàm magis, quàm in minimis, totam eſſe. Ego quidem, ne diſſimulem, muſcæ volantis velocitatem ſtupeſco magis cum Auguſtino, quàm beſtiæ gradientis magnitudinem, & màgis formicarum opera, quàm Camelorum.

Sed ne ſe contemptas aut præteritas putent beſtiæ grandiores in arenam deſcendet unus pro omnibus Elephas Cocincinenſis.

Ne tamen beſtiæ grandiores præteritas aut contemptas ſe putent, producamus in aciem Elephantes, quos non tam moles corporis, quam mira dexteritas ſpectabiles facit. Sunt illi diſciplinæ capaciſſimi; vernaculam regionis linguam addiſcunt, ita dicto audientes, ut mandata ductoris ſui, & multa, & difficilia excipiant in multos dies, eaque accuratiſſimè exequantur. Inſigne eſt quod narrat oculatus teſtis noſter Chriſtophorus Borrius, in relatione Cocincinæ. Ipſe uno vectus Elephante, cùm admi-

ratus eſſet, quâm bellè arborum ramos beſtia degluberet, poſtridie eâ de re elephantum laudavit apud ductorem ſuum. Is, ut erat vir honeſtus, Patrem ſimili ſpectaculo paſcere iterùm volens, Elephantum appellare cœpit nominatim. Meminiſti, inquit, Gnine, hoc erat Elephanti nomen, meminiſti quid heri feceris coram Patre, quem vehebas; mox idem coram eodem repetito; & vide, ne quid facias indecorè. Nec mora, Elephas ingentem ramum vellit ex arbore; Patrem adit in turbâ unum de multis; prono corpore, flexóque genu ſalutat Patrem; ramum bellè deglubit; & mox reſalutato Patre, revertitur ad ductorem ſuum exultabundus; quaſi rei benè geſtæ præmium laudémque repoſceret. Num Elephas iſte, Auditores, Carteſium mole obruit ſuâ, aut proboſcide jactat in ventos?

Verùm nec numero, nec magnitudine corporum, nec peregrinitate pugnamus. Dimiſsâ igitur, quæ nos impedit, ac diutiùs tenet, animalium turbâ, ſatis erit unum ſervare pro omnibus, domeſticum & familiare animal, noſtrum, ſi vultis, aut paſſerculum, aut catellum, alterutrum de duobus. Placet quidem & mirificè placet rubro criſtatus ille, & rubro item cothurnatus paſſerculus, delicium & corona ingenioſſimi inſtructoris ſui: ſive muſcas venatur, & roſtro petit; ſive pugnat acriter laceſſitus; ſive gyros facit, ſeque omnem vertit in partem; ſive ſe lavat in flumine, molliterque pectit ad ſolem; ſive per ora aut capita hominum volitare amat, ubique mirabilis eſt; adeò ut ex contagio capitum, quibus perpetuò inſidere vult, hauſiſſe di-

Demùm ne aut numero, aut mole corporum, aut peregrinitate pugnare videamur, dimiſsâ turbâ unum producitur domeſticũ & familiare animal ſeu paſſerculus, ſeu catellus.

ceres ſenſus aliquid & intellectus. Hoc uno diſplicet, quod nondùm oblitus levitatis ſuæ, & paulò inquietior nobis interdùm avolat inconſultis.

Reſervato ad jocos paſſerculo fit in cane belluini ingenii anatomia.

Quare reſervato ad delicias, jocoſque paſſerculo, videtur canis opportunior ad ſeria, aptiorque ad belluini ingenii Anatomiam faciendam. Sed quia non minùs inter canes, quàm inter homines generis differentia quædam eſt, placet canis iſtius, qualem ego imaginor, & genus, & proavos, *& grandia dicere facta.* Paternum Genus ducere velim ab Romulido illo cane, quem ferunt, Tiberii temporibus, Domino ſuo fidelem fuiſſe, ad miraculum uſquè, & ſtuporem; non à carcere abigi potuiſſe, non à corpore ad Gemonias ſcalas abjecto, mæſtos edentem ululatus, eique cùm panis fruſtulum quidam objiceret, protinùs ad defuncti os detuliſſe; cadavere in Tiberim tracto, in medium innataſſe flumen, ne mergeretur, ſuſtinere tentantem, effusâ populi multitudine, ad ſpectandam animalis pietatem, ac fidem. Maternum autem genus habere creditur ab memorato illo Hieronymi Rorani Catello, de quo ſic ipſe ſcribit. Dum hinc veſtem in diſco poſitam, illinc chirothecas in ſcamno cuſtodire vellet, ambulanti verſus veſtem decurrebat ad veſtem, rurſus ad chirothecas eâdem ſedulitate remeabat, donec in diverſa curſitando feſſus ſuo tandem labori conſuluit, veſtem, & chirothecas unum in locum reponens. Affinitate attingere dicitur gemellos illos canes Cardinalis Sanſeverini, adeò benè moratos: tranſirent quantùm vellent, damæ, apri, cervi, perſtabant ambo immobiles. Altero citato nomina-

Paternum genus undè ducat.

Undè maternum.

Quos affinitate attingat.

tim, & juſſo feram ſequi, non ſe loco movebat alter, Cardinalis & ipſe nutum, imperiumque expectans. Adeò quos non tenuiſſent funes, non ferreæ catenæ, ratio continere videbatur, ne quid præter Domini voluntatem auderent. Hæc ſatis de catelli genere & majoribus. De ipſo dicamus aliquid. Bellè ſaltat, & ad numeros, lyram pulſat, argutus digitis, pede velox, nare ſagax, egregiè doctus & cuniculos educere è latebris, & indigitare perdices, & fixam avem in flumine piſcari, & occupare leporem. Quidquid te facere, viderit, ſimia eſt; quidquid juſſeris, præſtò eſt, pro puero, pro vernulâ, auſim dicere, & pro filio eſſe poſſet. Adeò non omnis in eo canis, ſed omne animal videtur eſſe. Dignus igitur qui nunc pro omni animali ſupponat, ſpecies pro genere, individuum pro ſpecie. Ponamus illum in medio circulo, mihi credite, & me ſatis benevolè audiet pro animâ ſuâ diſputantem.

Quæ illius propria dexteritas.

Quam præmiſi hiſtoriam animalium, eò ſpectavit, ut jucundè, & ludendo magis, quàm philoſophando, id perſuaderem, quod primum volebam, ſi veriſimilitudo quæritur, improbabilius eſt, bruta mera eſſe Automata quàm ratiocinari. Nec dubito, quin exciderit vobis ſæpè tacita iſta confeſſio, eſt aliquid rationis in brutis, aut certè videtur eſſe. Undè ſic concludo, ſtare veriſimilitudinem contra Carteſium, pro ratiocinio brutorum. Demonſtremus nunc ſtare veritatem contra eumdem, quod eſt alterum caput mihi propoſitum; ejúſque ſententiam non apparenter tantùm, aut reſpectivè, ſed abſolutè falſam eſſe. Argumentabor

Concluditur ſtare veriſimilitudinem contra Carteſium, & longè eſſe improbabilius bruta eſſe mera automata quàm ratiocinari quod erat demonſtrandum.

hîc preſſiùs : ratiocinationis ſummam ſic colligo.

Secunda pars Diſſertationis, in qua demõſtratur ſententiam Carteſii abſolutè falſam eſſe quia ſine formâ aliquâ cognoſcente haberi non poſsũt motus illi mirabiles quos in cane obſervamus.

Mirabiles effectus, quos in catello noſtro, exempli cauſâ, obſervamus, vel Deus ſolus immediatè operatur, tamquam cauſa particularis; vel canis iſte inanimis quædam machina eſt, tam aptè compacta, ut ſe ipſa ſola cum generali Dei concurſu movere poſſit: vel certè in cane ineſſe dicenda eſt anima, ſeu forma quædam cognoſcens. Atqui ejuſmodi motus nec Deus, ſolus immediatè operatur, tamquam cauſa particularis; nec inanimis machina ſeipſam movere poteſt adeò mirabiliter. Ergo dicenda eſt ineſſe in cane forma quædam cognoſcens. Major propoſitio eſt evidens; nec apparet, quo tandem alio modo res fieri poſſit. Minor, quæ duas habet partes, Probatur.

Nam Deus eos motus non producit per ſe tamquam cauſa particularis.

Ac 1°. Quidem Deus non producit per ſe, & tamquam cauſa particularis, tot animalium ſtupendos motus. Neque fingere item quis poſſit, niſi ſomniando, Deum, quemadmodum cœleſtibus corporibus præfecit intelligentias, ita formicis, culicibus, apiculis, araneis, aut huic etiam cani ſuum affixiſſe genium aſſiſtentem, qui terreſtre corpuſculum agitaret. Nam hæc ratio Philoſophandi ridicula & incredibilis eſt. Et quorsùm tam variæ diſpoſitiones animalium, tam diverſa organa, tam exquiſita ſtructura partium, ſi Deus ſolus operatur omnia in omnibus? Numquid Deo opus eſt tanto apparatu inſtrumentorum? Sed in his non immoror, quæ defenſorem non habent. Probatur igitur Secunda Pars minoris propoſitionis contra Carteſium: Canis iſte machina non eſt inanimis,

Nec canis dici poteſt machina inanimis tam aptè compacta ut ſeipſa movere poſſit adeò mirabiliter ſine ullâ cognitione.

tam aptè compacta, ut ſeipſam movere poſſit adeò mirabiliter, ſine ulla cognitione. Quæro ego, Auditores, in Philoſopho amorem ſummum veri, & ſinceritatem tantam, nihil ut diſſimulet, etiam eorum, quæ adverſariis favent. Fatebor igitur ingenuè, quod res eſt, mirabilem eſſe aliquandò in artefactis hominum induſtriam. Jannellus Turrianus ille ſui temporis Archimedes, qui Toletanum aquæ-ductum deſignavit, ac poſteà ſublato in Toleti montem Tago amne, novo artis miraculo, fabrefecit, ille, inquam, Carolum V. Imperatorem, in ſeceſſu agentem Hieronymiano, novis quotidiè machinationibus oblectabat. Nam ſæpè à prandio armatas hominum icunculas induxit in menſam, alias Tympana pulſantes, alias tubis occinentes, ac nonnullas ex eis feroculas infeſtis ſeſe haſtulis incurſantes: interdùm ligneos paſſerculos emiſit è cubiculo volantes, revolantéſque, cœnobiarchâ, qui tum fortè aderat, præſtigias ſubverente; fecit & ferreas molas per ſe verſatiles, tantæ ſubtilitatis, parvitatiſque, ut manicâ occultatas monachus facilè ferret; cùm tamen quotidiè molerent tantùm tritici quantùm hominibus octo in ſingulos dies alendis abundè eſſet. Rem narrat Famianus Strada, totidem penè verbis; & credo facilè narranti, maximè cùm jam nihil familiarius ſit, præſertim apud Italos, quàm hydraulicis organis omnia penè imitari. Audires hîc Jovem tonare ſereno Cœlo, explodi ac reboare tormenta bellica, mugire boves, rugire Leones, grunnire ſues, latrare canes, ſibilare ſerpentes, & horum omnium, ſi neſcis, cauſa eſt aqua, per tubulorum anguſtias,

Mira quidem eſt in artefactis induſtria hominũ ut patet, ex Jannelli Turriani novis machinationibus Carolum V. in ſuo ſeceſſu oblectantibus.

Ex hydraulicis Italorum organis omnia imitantibus.

Ex horologiis ipſis rotatis in ſingulas horas pulſantibus.

mœandros, anfractus, variè circumducta, flexa, fracta, eliſa, torta, cruciata. Sed quid externa & recondita quærimus. Horologia ipſa rotata quibus fabricandis delectabatur præcipuè Carolus V. quia videlicet, inquit Strada, *eorum rotas multò quàm fortunæ faciliùs temperabat.* Horologia, inquam, apud exteras gentes pro animatis habentur. Dicti fidem faciet, & placebit quod ſequitur.

*De bello Belgico decâ. 1.*

Adeò ut machina horologii apud Sinas ſonora quædam beſtiola reputaretur.

Machinam Horologii elegantem cùm obtuliſſet unus è noſtris Imperatori Sinarum, ( nam hiſce muneribus, velut hamis capiuntur Barbari, trahunturque ad fidem.) circumſpicere cœpit Imperator peregrinum, ut appellabat, animal, & mirari, quemadmodum notaret horas, pulſaretque, ac temporum intervalla diſtingueret. Rogare deindè, quo ſe paſceret cibo ſonora beſtiola. Audiens autem, nec cibo egere, obſtupeſcere magis ac magis Fortè poſt unum alterumve diem pulſare horologium deſiit; creditúmque ſtatim, vivere deſiiſſe animal Europæum; nec immeritò; nam vocis, & linguæ uſum perdiderat, pulſumque omnem, nullumque vitæ indicium reſtabat. Erat aula tota in planctu, dolebatque Principi graviter improviſa, & ſubita mors animalis; cùm ecce commodùm pater adfuit, qui ſcitè horologii rotas retractans, reddénſque pulſum, ac motum, creditus eſt vitam pariter reddidiſſe, ac mortuum animal ſuſcitaſſe.

Atque hinc fit aliqua ſuſpicio ne nos idem

Sentio, Auditores, ſuboriri animo ſiniſtram ſuſpicionem numquàm anteà exortam, ne circa ea, quæ animalia dicimus, idem nos teneat error, qui Sinenſes tenebat circa horologium.

Contra quam ſuſpicionem quantùmvis levem, ac temerè formatam, oppono ſtatim, artificioſas machinas imitari quidem aliquos animalium motus, at nullam earum viſam eſſe, quæ omnes imitaretur. Et videte, quantùm differant ab animatis. Differunt perpetuitate motus, quam non habent. Differunt ſubtilitate ac facilitate movendi ſe. Nam ecquæ, amabo, machina, ad levem auram, ad tenuem odorem, ad primum aëris motum, ad voculam unam moveatur, aſſurgat, & exiliat, ut facit catellus iſte noſter? Differunt ſerie quâdam, & ordinatione motuum, in unum finem ſpectantium. Differunt innumeris aliis capitibus, neque hoc adverſarii negant, quin inter utraſque immenſum diſcrimen intercedat. Sed eſto, inquiunt, nemo homo fecerit hactenùs tam ſubtilem Machinam, neque porrò facturus ſit, quia pinguiores ſunt hominum digiti, & craſſiora inſtrumenta. At comprehendimus animo illius faciendæ modum, quod ſufficit. Examinemus hoc ipſum, & experiamur, an eò pertinere poſſit humani ingenii vis, quod exequi humana induſtria non potuit. Machinam delineaſſe creditur Carteſius, Pardiæus noſter abſolviſſe. Huc oculos, huc aures, huc vos totos convertite.

error circa animalia teneat.

Nam quâvis immenſum differre videantur machinæ artificioſæ ab animatis ſeu naturalibus.

Concipi fortè poteſt machina inanimata catello noſtro per omnia ſimilis.

Ad novæ machinæ fabricam hæc omninò neceſſaria eſſe intelligo. Primum eſt, organum ſeu inſtrumentum motus: quale organum eſſe volunt, nervos diffuſos per totum corpus, tuborum inſtar hydraulicorum. Alterum eſt ſubſtantia quædam mobilis, & apta movere organum, quo ferè modo, aër vel aqua tubulos movet: eamque vim movendi totam ponunt in ſpiriti-

Ejuſmodi machina delineatur.

bus animalibus, hoc eſt halitibus quibuſdam ſubtiliſſimis, & celerrimè agitatis. 3°. Quærendus eſt fons inexhauſtus talium ſpirituum, ne ſi fortè areſcerent, continuò tota machina hæreret immobilis. Porrò fons ille, quem quærimus, cor eſt, motu ſuo reciproco perpetuò ſanguinem, & ſpiritus admittens, remittenſque. 4°. Opus eſt communi receptaculo, undè commodè fiat diſpenſatio ſpirituum. Commune hoc receptaculum cerebrum erit. 5°. Requiritur cauſa diſpenſans halitus in cerebro receptos. At in promptu eſt glandula pinealis, *Conarion* dicitur, poſita in medio ventriculorum cerebri, Æoli inſtar, *Cui Divûm Pater atque hominum Rex, & mulcere dedit fluctus, & tollere ventos.* 6°. Neceſſaria eſt cauſa determinans glandem pineam, ad ſpiritus tam variè diſtribuendos: eámque cauſam diverſam eſſe volunt, pro diverſitate motuum, qui externis ſenſibus accidunt.

Habetis ſummam totius artificii Carteſiani: nam ſingula minutatim perſequi, & ingratum eſſet, & ſuperfluum, apud homines, quibus Carteſius ſatis familiaris eſt. Externum igitur objectum fibrillam nervorum movet, hæc cerebrum, cerebrum contiguos ſpiritus, ſpiritus pineam glandem, iſta certam in partem ſpiritus determinat, qui ſe mox in nervos inſinuant, eóſque cient in corpore motus, quos miramur. Quid ultra quærimus? Super inductâ villoſâ cute ſtabit canis æmulus noſtro, nec tam ſimilis quàm idem; niſi quod in fronte hanc præfert Epigraphem, Carteſius faciebat. Salvum jubeabus novum animal, quod non vivit. Sed circumſpectemus

cumſpectemus illud diligenter, & de peregrino Automate, nonnulla, pro curioſitate noſtrâ, ſciſcitemur.

Quæro igitur ab circumductore monſtri Carteſio, cur ſpiritus animales, ſeu ſubtiles illi halitus, qui in corpore quieſcente tam leniter moventur, tam violentos deindè motus producant. Reſpondebit, idem illis contingere, quod aquæ contingit, quæ per apertum alveum liberè ſpatians, vix arundinem movet, eademque per anguſtias cataractarum determinata, machinas rotat ingentes. Sed contra. Quæro iterùm, quis illos ſpiritus urget, ut ſe iis anguſtiis intercipiant? Quis impellit, ut eant? Quæro inſuper, quomodo res objecta machinæ fibrillas ſic movere poterit, ut ſequantur indè omnes animalium motus? Quid? Ad fruſtulum panis exiliet machina illa ſua, ut exilit Catellus iſte noſter? Non credo. Quid? Si è loco altiori tamquam bonum magis arduum panis oſtentabitur, tollet ſe machina, & vibrabit vehementiùs? Non credo. Quid? Sequeretur herum ſuum canis iſte fictitius, quia panem accepit? Atqui nec noſſe herum poteſt, nec accipere beneficium, nec, ſi acceperit, meminiſſe. Non ſequeretur: cur enim ſequeretur? Et quid modo ſpiritus determinaret ad ſequendum? Quæro ulteriùs. Canis iſte noſter adduci numquàm poteſt, nec minis, nec fuſtibus, ut ſe in altam foveam præcipitet. Hæc verò machina quid faciet; ſi pariter fuſtibus agatur? Profectò clauſis oculis ibit in foveam; & caſu ſuo diſſiliet, ac diſſolvetur. Nonne contuſarum fibrillarum motus perveniet ad cerebrum, & indè ad glandem pineam? Nonne

Examinatur.

Exploditur.

hæc ſpiritus tali modo determinabit, ut eò machinam impellant?

Opponunt Carteſiani plurimos motus in homine fieri independenter à cognitione motibus canis mirabiliores.

Dicet hîc Carteſius, plurimos fieri motus in homine longè mirabiliores, qui tamen à cognitione non pendeant. Nam quis Archimedem, exempli causâ, cùm deambularet in altâ quâdam cogitatione defixus, putà in quadrando circulo; quis illum credat de ponendo pede, aut explicandis cruribus cogitaſſe, cùm ne tumultum quidem audiret occupatæ urbis; nec militem videret intra cubiculum, & vix ferrum ſenſerit, quo transfixus eſt? Quis Cytharædo fides pulſanti ad ſingulos fidium pulſus, digitorum motus, totidem præire credat cognitiones, velut amica ſydera? Quis ſcire putet nocturnum ambulonem quid faciat, ubi pedem ponat; quò greſſus dirigat? Fiunt, inquit, hæc omnia ſine cognitione. Contra tamen ſic ajo. Conſtat primò, ſupradictos motus ſæpè ad cognitionem & ad voluntatem ſequi. Conſtat ſecundò, nullos ejuſmodi inchoari poſſe ſine præviâ cognitione: utrum autem ſine illâ continuentur, necne, nihil hîc examino; ſed validum indè ſumo argumentum ab homine, & ad hominem. Corpus hominis machina eſt, nihilò minoris artificii, quàm ſit machina brutorum. Atqui tamen plurimi ex his motibus, quos in brutis obſervamus, fieri ab homine nequeunt independenter à cognitione; multò minùs fieri poſſent ab inanimi illâ brutorum machinâ. Quare falſa iſta animalia ridere mihi liceat iiſdem penè verbis, quibus falſos Gentilium Deos Propheta ridebat; *Oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient, nares habent, & non odora-*

Sed ex eâ ipsâ oppoſitione validum ſumitur argumentum contra machinam Carteſianam.

Nam illi motus eſto ſine cognitione interdum continuentur, ſequuntur tamen ad cognitionē & voluntatem, nec ſine cognitione & voluntate inchoantur

*bunt*, *pedes habent & non ambulabunt*; *non clamabunt in gutture ſuo.* Quod verò ſequitur, *ſimiles illis fiant qui faciunt ea*, *& omnes qui confidunt in eis*, haud ſatis ſcio, votumne ſit, an Vaticinium Prophetæ: ſed belliſſimè cadit in noſtros Automatorum fabricatores; qui profectò ſi Automata non ſunt, probare tamen vix poſſunt, ſe Automata non eſſe. Quo in genere lepidam narrationem, nec inutilem audite.

etiam in machinâ humani corporis quantò minùs in machinâ caninâ artificii imperfectioris.

Probare vix poſſunt Carteſiani ſe automata non eſſe.

Lepida in eo genere hiſtoria.

Pariſiis fœmina quædam Princeps catellam habebat in deliciis, quam pupulæ inſtar, circumferebat è ſinu pendentem. Fortè in cætu nobilium; & eruditorum, cùm nihil in ore haberet præter catellam ſuam, una de Carteſianis puellis, (nam fæminæ hac noſtrâ ætate ſupra ſexum ſapiunt, nec eas Philoſophari vetat Carteſius.) Atqui, inquit, illa, quam deperis, catella tua non vivit. Ad tam acerbum nuncium expalluit fœmina, miſitque confeſtim domum, qui catellam ſiſteret, aut vivam, aut mortuam. Sed ecce ornata in morem ſponſæ catella, totaque comptula apparet, & blandè uti ſolebat, in dominæ gremium irrepit. Hîc verò revixit domina, beſtiolamque centies compellans, ecquis te, ait, blandula mea, quis te negabat vivere? Ego, inſtitit Carteſiana, ego ita negabam, & ita nego, juxta Carteſium noſtrum; qualis autem & quantus vir ille eſt, qui penè Ariſtotelem abolevit: juxta Carteſium, inquam, catella tua non vivit, ſed inanimis Machina eſt. Ain'tu? Reponit illa indignans ſciolæ loquacitatem. De Carteſio tuo nihil ego nunc diſputo, qualis fuerit; ſed tu filia, vide, ne vel machina ipſa ſis, vel ſi non es, machina

Rixa fœminarum de catellâ.

non eſt catella noſtra. Ad hæc cùm riderent cæteri, & puellam quaſi contemptu & injuriâ provocatam rubere ſentiret. Machinam, ſubjunxit, intelligo, qualem Deus ex Adami coſtâ ædificavit in Virginem pulcherrimam: talis nimirùm tu machina es; aut qualis machina fuit Helena illa, quæ Græcis plùs valuit ad Trojam expugnandam, quam ille *inſtar montis equus.* Placata his puella eſt; nec ultrà riſus & jocos res abiit. Parùm tamen fuit, quin à fœminis ad viros rixa tranſiret. Nam aulicorum unus, poſt equum ſuum caſtellanum pluribus ac prolixè laudatum, hunc porrò equum, ajebat, ſi quis auſit machinam inanimem appellare, vindicabo injuriam hoc gladio. Age verò, excepit alter, Carteſianus ego ſum, tuus ille equus, nihil niſi Machina eſt; tu pro Caſtellano ſi quid audes, ego pro veritate pugnavero. Jamque uterque gladium ſeriò ſtringebant; ſed amici utrumque tenuerunt, monentes, non eſſe locum cruentæ pugnæ, ſed Scholaſticæ diſputationis; præſtò eſſe Philoſophos, qui coràm quæſtionem agitarent. Conditio placuit, & cauſa devoluta eſt ad Doctores duos, Ariſtotelicum unum, Carteſianum alterum: qui poſt longam, acremque contentionem, poſt ſolemnes illas Scholæ formulas, *Nego*, *Concedo*, *Diſtinguo*, *falſum eſt*, *non probas negatum*, *mentiris*, eò tandem venerunt, ut probandum haberet Carteſianus, ſe animal eſſe, non meram machinam, uti contendebat Peripateticus, argumento ducto à pari. Egone, ajebat Carteſianus, machina ſim, non animal! Atqui video, audio, ſentio, cognoſco, argumentor, reſpondeo. Sed con-

Et aulicorum de equo caſtellano.

Ad duos Philoſophos unum Ariſtotelicum, Carteſianum alterum devoluta.

tra, urgebat alter, & videt equus, & audit, & ſentit, & cognoſcit, ergò vel animal eſt equus, vel tu animal non es. Ridentibus omnibus laborare hominem, ut probaret ſe animal eſſe, prorupit è medio riſum non ferens; queſtúſque eſt apud judicem de injuriâ, quòd ſibi, Philoſopho, & Doctori, & veterano, ne animalis quidem nomen relictum eſſet. Sed ad ſeria redeamus.

Stat, Auditores, non opis eſſe noſtræ, nec humani ingenii, quæſitam Machinam. Sed inſtant Carteſiani, ſaltem poſſibilis illa eſt, & poteſt illam facere qui eſt omnipotens. Ergò & feciſſe credendus eſt. Reſpondeo 1°. Nego conſequentiam: cùm enim utroque modo rem facere poſſit, utro fecerit, nemo prudens dicat, niſi qui fuerit conſiliarius, & quod de Baſilio dicitur, *à latere Dei creatoris.* Conſequens item negat Pardiæus noſter, & benè negat; quòd timendum putet, ne cadat in Deum aliqua nota impoſturæ, qui oſtentando machinas inanimes pro animatis, mortalium oculis perpetuò illuderet. Sed quidquid ſit de illâ ratione, quàm benè negavit conſequens, tam malè conceſſit antecedens; & cauſam penè noſtram deſeruit. Ego igitur, ne prævaricator ſim, nego antecedens; neque enim magis poteſt Deus facere animal nullâ vi præditum cognoſcendi, quàm hominem, qui non ſit rationalis. Et ne ſupponere videar, quod eſt in controverſiâ, nego abſolutè, & præcisè, Deum poſſe fingere machinam inanimem, quæ ſeipſâ naturaliter præſtet omnes animalium motus, ſaltem in his circumſtantiis, in quibus fieri illos videmus. Unde ſequitur motus ejuſmodi, in talibus circumſtantiis factos,

Machina Carteſiana non modò humanam induſtriam ſuperat, ſed etiam divinam.

Quia omninò chimærica eſt.

Ut demonſtratur breviter.

Aliquot argumentis ſeu principiis.

neceſſaria eſſe, & infallibilia argumenta animæ in cane inexiſtentis. Repugnare autem talem machinam oſtendo brevibus aliquot argumentis, ſeu principiis, quæ ferre ſecum quiſque poterit, velut amuleta quædam, contra præſens Carteſianiſmi venenum.

Primum Principiũ.

Primum Principium ſit. Cauſa neceſſaria, quæ completa ad operandum non operatur, chimæra eſt: atqui machina inanimis, completa ad operandum, non operaretur. Probo minorem. Cani minas intentas, fugit, minitaris iterùm, fugit: ſed ſi minas toties dederis, percuſſeris numquàm, eo demùm fiet, ut nec minis terreatur, nec fugiat. Atqui ſunt eadem omnia fugæ principia, baculus idem, idem aëris motus, eadem manus, canis idem, & tamen idem non fugit. Ergò canis inanimis completus ad fugiendum non fugit. Neque dixeris detritas uſu ipſo fibrillas obduruiſſe, nam præterquamquòd uſu ipſo organa expediri ad motum videmus, ſi canem eumdem nunc percutias, quoties minaberis deinceps, erit ad fugam expeditus, ergo quòd jam non fugiat, refundi non poteſt, in detrimentum, aut duritiem fibrillarum.

Secundum Principiũ.

Secundum principium. Cauſa neceſſaria, quæ nondùm completa ad operandum, tamen operatur, chimæra eſt. Atqui talis foret canis inanimis. Nam poſt acceptum panem mihi blanditur, cùm antea non blandiretur; poſt acceptum fuſtuarium me fugit, cùm anteà non fugeret. Atqui non alia cauſa blandiendi eſt, præter memoriam accepti beneficii; non alia fugiendi ratio, quàm fuſtuarii recordatio. Ergo ſi hanc à cane excipias, fugiet canis, & blandietur, nul-

lam habens cauſam fugiendi, aut blandiendi.

Tertium principium. Machina quæ aliò tendit naturaliter, quàm quò trahitur, impellitur, aut determinatur, chimæra eſt. Sed hoc faceret canis, ſi cognitionem non haberet, ut patet cùm leporem anticipat, & præcurrit. Nam ſic argumentor. Trahitur à lepore, & impellitur ad leporem. Ergò eò tendere debet, ubi lepus eſt: tamen aliò tendit; neque percurrit duas lineas trianguli, uti lepus percurrit; ſed tertiam init, rectà tendens in eum angulum, ubi prævidet occurſurum ſibi leporem; quaſi haberet in ſuo Cerebello principium iſtud, linea recta omnium breviſſima eſt, aut illam Euclidis propoſitionem, duæ lineæ trianguli ſunt ſemper tertiâ longiores. Tertium Principiũ.

Quartum principium ſit. Machina, quæ non eò movetur fortiùs, quò fortior eſt cauſa movens, cæteris paribus, chimæra eſt. Sed canis iſte, ſi Machina eſt inanimis, non eò movetur fortiùs, quò fortior eſt cauſa movens, imò minùs movetur; ut eſt manifeſtum. Nam ſi panem propiùs admoveas, minùs tollit ſe; ſi retrahas, tollit ſe, & vehementiùs jaculatur. Quid ita? niſi quia ſaltu vehementiori intelligit opus eſſe, ad prehendendum panem Id verò ſi non intelligit, quomodo ab objecto remotiore trahitur vehementiùs? Quomodo leviùs à propinquiore? Quartum Principiũ.

Quintum ultimumque principium omnia complectens. Machina illa habenda eſt pro impoſſibili, quam clarè concipimus impoſſibilem eſſe, ſpectatis animalium motibus; atqui talis eſt Machina Carteſiana. Siquidem clarè concipimus, impoſſibile eſſe, ut fiant mirabiles anima- Quintum Principiũ.

lium motus, ſine cognitione aliquâ prævià; imò vix intelligere poſſumus, quomodo non ratiocinentur: ergo Machina Carteſiana pro impoſſibili habenda eſt.

Clauſula diſſertationis. Hæc ſatis. Sed vobis, nobiliſſimi adoleſcentes, Philoſophi mei, quid vobis futurum putatis eo Philoſophiæ Magiſtro, qui catellos veſtros Logicos penè fecerit, ipſoſque aſellos induxerit ratiocinantes? Nolite tamen errare; & ne quis me exiſtimet aliquid eſſe ſupra id quod videt in me, aut audit de me. Moneo vos, pecus quicumque venerit, pecus hinc remittetur. Adoleſcentes ingenioſos, modeſtos, benè moratos quotquot habuero, reddam Philoſophos, aut potiùs reddet ille per me qui ſcientiarum Dominus eſt, & linguas infantium facit eſſe diſertas.

# STILUS NATURÆ INDEX.

## DISSERTATIO ACADEMICA.

*E Cælo deſcendit.* Γνῶθι σεαυτόν. Juv. Sat. 11.

VEtus illud, pervulgatumque oraculum, ut ſe quiſque norit, & latentem introſpiciat naturam, etſi habet divinum quid, & ſuum ſapit Apollinem; Nonnullis tamen ad vitæ humanæ inſtitutionem, aut inutile videri poſſit, aut certè non omni ex parte perfectum. Primùm enim non placet, quod hominem revocans totum ad cognitionem ſui, ita vult defigi in ſeſe, occuparique interiùs; ut ad alios mentis aciem non intendat. Deindè verò qui naturæ cognitionem præcepit, debuit idem Apollo viam monſtraſſe aliquam naturæ veſtigandæ. Sed ex his quæ cenſores divinitatis paulò intemperantiùs reprehendunt, cognoſcite vos ingenium Dei. Solet nimirùm ille ſua mortalibus oracula, non omnia ſimul effundere, ſed ſenſim, & Cæleſtis inſtar roris, guttatim inſtillare; ſive eæ ſunt humanæ mentis anguſtiæ, quæ non plura

Veteri Apollinis oraculo duo deeſſe videbantur

capiant ; ſive conſilium numinis beneficia ſua longâ expectatione commendantis. Hodiè tamen Pythius ille noſter, veſtrâ, credo, Clariſſimorum virorum frequentiâ excitatus, quæ duo veteri præcepto deeſſe videbantur, opportunè ſupplebit ; proponetque artem non vulgarem cognoſcendæ per ſtylum naturæ, tum noſtræ, tum etiam alienæ.

Quæ ſupplentur hodiè per phiſiognomiā Rhetoricam.

Excellentia iſtius phyſiognomiæ.

Magnum aliquid dico, Auditores, oratorem in Senatu, in foro, in templo, in familiari conſuetudine, ſtatim ut audiveris, aſſequi penitùs, & inſpicere; ſed quem videris numquàm, numquàm audiveris, ſine horoſcopo, ſine inſpectione vultus, manu non poſtulatâ, noſſe tamen illius mores, naturam, affectus animi, totam deniquè indolem habere exploratam, id verò longè præclarius. At evocare è ſepulchro multis ab hinc retro annorum millibus inhumatum, ut cujus ne veſtigium quidem, aut pulviſculus ſupereſt, invenias tu totum, examines, de eo audacter pronuncies, bilioſuſne fuerit, an melancholicus, pituita in eo, an ſanguis præcellat, nonne res eſt plena divinitatis, ne dicam necromantiæ. Hæc in me recipio omnia : quanta ſint videtis ipſi ; & tacitè, quod initio uſurpavi oraculum, mihi viciſſim reponitis, γνῶθι σεαυτὸν, ut vires æſtimem meas. Fateor, Auditores, periculum eſt, ne de cœtu veſtro Atheneus alter, vel Rhetoricam definiat κακοτεχνίαν, artem fingendi ; ex quo præſertim illa in Phyſiognomiam degeneravit; vel me unum ex illis inanitatum venditoribus ſuſpicetur eſſe. Quam ſuſpicionem mihi & Rhetoricæ injurioſam ut amoveam quamprimùm.

Diſtributio diſſertationis.

Tribus omninò totum argumentum complectar, ac primùm ex ſtylo cognoſci poſſe naturam demonſtrabo. Exquiram deindè, undè tanta ſtylum inter & naturam conſenſio oriatur. Poſtremò, quod caput artis eſt difficillimum, aperiam quemadmodùm novo iſto genere Phyſiognomiæ, cujuſque animum inſcrutari oporteat. Quæ Rhetoricæ myſteria, aut, ut cum Cyrillo loquar Alexandrino, ἱερατικὰ γραμματα, ſi, uti par eſt, explicuero, ſacerdos Muſarum aliquis videri poſſim.

Prima pars. Stylus quid ſit.

Sed quoniam ſtyli intelligentiam tota hæc quæſtio præſupponit; dico breviter, ſtylum eſſe facultatem cuique propriam, intelligendi, & explicandi res certo verborum ordine, contextu, & modo; ut mihi duo videantur eſſe in ſtylo, imaginandi vis, & verborum uſus, contextuſque. Quæ duo, quòd ſunt inter ſe apta, & aliud ex alio, (fit enim ferè, ut quemadmodùm quiſque res animo concepit, ita verbis reddat expreſſas) in unam ſtyli rationem conveniunt. Atque ex eo ſtylo cognoſci cujuſque naturam, animumque ſic oſtendo, ut nullâ ratione fieri poſſit commodiùs.

Non deeſt homini feneſtratum pectus quod momus requirebat.

Nihil eſt (Auditores) quo ſe natura non prodat, obſervare naturam curiosè volenti. Divino in opere Promethei, ſeu fictili hominis ſtatuâ, cùm cætera laudaret Momus, unum adhuc velle ſe ajebat, feneſtratum pectus, quò in interiorem animum oculorum acies pervaderet. Ego Cenſorem reprehendens, id ipſum, quod ille requirebat, invenio in homine; licet enim non amplis ac patentibus feneſtris lucem accipiat, ſolemque, talis tamen eſt, ut quod de Arce quâdam dixit Poëta, in illum.

*Virg. Æn. l. 3.*

*Plena per inſertas fundat ſe luna feneſtras.*

Diique penates ac domeſtici, *Multo* (ut ait idem, *manifeſti in lumine* appareant. Sunt in homine, ut ferè fit in arcibus, aut cuſtodiis, ſunt inſertæ feneſtellæ, per quas captivus animus emittit interdùm aliquam partem ſui: ſunt innumeri meatus, quibus non tam inania excrementa, quàm natura ipſa exſudat. Produnt hominem minima quæque, inceſſus, habitus, geſtus, obtutus, riſus, nutus capitis, renutus, ſternutamentum, quid plura? omnia; ut cùm alii paſſim latebras, anfractus viarum, receſſus & errores inextricabiles exaggerent, ego ſic exiſtimem, homini præſertim vigilanti & curioſo, naturam vix poſſe diſſimulari. Jam verò ſi vel hæc minima ad naturæ inveſtigationem plurimùm valent, pro ſtylo præjudicatum eſt; cùm in illis ludat tantùm natura, in hunc totâ contentione, nerviſque, ut ita dicam, omnibus, ſe totam, ac ſeriò impendat. De Manibus dixit eleganter Quintilianus, nullum eſſe animi motum quem non exprimant. *Hæ non tam loquentem adjuvant, quàm loquuntur ipſæ. An non*, inquit, *his poſcimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, ſupplicamus, abominamur? an non gaudium, triſtitiam, dubitationem, confeſſionem, pœnitentiam oſtendimus?* Sed ad pernoſcendas animi affectiones, ſi tantum eſt in manu, tantum in oculis, in nutu ſupercilii, aliiſque geſtibus tantum, quantum eſſe experimur; in ſtylo inerit aliquid longè majus, quandò is ab interiore tantùm naturâ peti poteſt, illos vero corporis motus, etiam in rebus inanimis, ſolers hominum induſtria interdùm effingit: adeo ut

In tam multis natura ſe prodit, ut diſſimulari non poſſit.

*Quint. Inſt. or. l. 11. c. 3.*

Sed in nullâ re meliùs quàm in ſtylo.

plerique Philoſophorum animantes præter hominem omnes αὐτόματα velint eſſe, & Carolo quinto poſt abdicatum imperium ſolitas fingi legimus aves ex ligno, ferroque ita compactas, ut interiore rotarum vi verum volatum imitarentur.

Nec motu corporis tantùm, ſed ipsâ etiam Aſtrologiâ, Chiromantiâ, Metopoſcopiâ, ſtylus eſt ad naturam intelligendam commodior; cùm illa, aut incerta ſint omnia, aut, ſi quid habent probabilitatis, totum id à ſtylo duci quodammodo videatur. Vitream hîc appello Aſtrologorum fidem. Ex deſcriptione cœli, ex aſtrorum ſitu, ex conjunctione ſyderum, naturas hominum fortunamque auſpicantür, quid ita? Cœlum (inquiunt) liber eſt, & quidem ſatis ampli voluminis; Aſtra Characteres, quàm lucidi? hominum verò fatum, fortunaque in cœlo ſcripta; ut qui legere hunc librum ſciat, totius ſcientiæ apicem attigerit. Ergo ex Characteribus, & litteris naturam colligis? eſt ergo in ſtylo aliquid ad naturæ cognitionem? benè eſt; tibi quidem aſſentior, ſi non hominum in hiſce characteribus efformandis planè otiantium, ſed mirabilem illam, beneficam, liberalem, magnificam, ac beatam Dei in cœlo ſcribentis naturam legas, & ſanior factus Propheta exclames, *Cœli enarrant gloriam Dei*, naturam hominum omninò tacent. Sed è cœlo, quò nos Aſtrologorum levitas extulerat, *pennis non homini datis*, ad terram ſponte devolemus.

Compa-ratio ſtyli cum Aſtro-logiâ.

Porrigite manum Chiromantico, & veſtram emendicate naturam? in manu quàm planiſſimâ, naſci tamen audietis montes, inſuperabiles (ut

Cum Chi-romantiâ.

ego appellem ) ingenii, & fidei humanæ obices. Quid enim montes iſti, Veneris, Mercurii, Jovis, Saturni, quid tandem parturient, niſi ridiculum murem, aut aliquid mure ineptius? Apage Thaumaturgos iſtos, effectores miraculorum, qui manu velint transferri montes, aut digito ſuſpendi. Neque tamen Chiromantiam penitùs explodam, ſi ſuis contenta finibus, lineas manûs, & inciſuras, tamquam levia quædam naturæ argumenta conſideret. Enimverò (inquiunt) quamdiu eſt infans in utero, manus habet clauſas, ſtrictâ in pugnum palmâ, digitiſque in Condylos complicatis: apices autem digitorum, ſeu ungues virgulas efficiunt, & hòc profundas magis, quò fuerit manus aſtrictior; quoniam verò hæc digitorum compreſſio fieri nequit ſine motu; & motus fœtum indicat robuſto ac vegeto calore animatum, duo hinc exiſtere veroſimile eſt: unum, caloris habere plurimùm, cujus profundæ virgulæ ſunt; in quo verò leves, & ſummâ cute delibatæ vix apparent, naturam in eo frigeſcere. Alterum, ſtylum tam idoneum eſſe naturæ indicem, ut cùm infans nec tractare calamum poſſit, nec chartam habeat ad exercendum ſtylum, in ipſâ manu ungues pro ſtylo exercens, naturæ quædam veſtigia exaraſſe videatur.

Cum metopoſcopiâ. Sequitur Metopoſcopia, quæ in inſpectione frontis, totiuſque vultûs contemplatione verſatur, conſideratque & colorem & partium conformationem. Verùm hæc non tam naturæ hominis, quam matris virtuti, & proplaſmati tribuenda eſt. De colore ſapienter monuit Poëta *nimiùm ne crede colori*. Demus tamen ex vultus

lineamentis naturam certò cognoſci, non aliam profectò ob cauſam, niſi quòd natura interiùs latens, ductus quoſdam ſui & rudia lineamenta in vultu exprimit. At quæro, cùm animæ ferè ſint duæ partes, una ſentiens, rationalis altera, cur non æquè ex rationalis, atque ex ſentientis ductibus & lineamentis naturam colligimus? ſtylum autem, de quo loquimur, ſcitis (Auditores) nihil aliud eſſe, niſi proprios partis ratiocinantis Characteres, & nativa lineamenta.

Quæ ad ſtylum pertinent omnia valent ad naturam exprimendam.

Verùm ne ſubtiliùs hæc dici putetis quàm ſolidiùs, advertite, ea, quæ ad ſtylum aliquo modo pertinent, eſſe omnia ejuſmodi, ut naturam animúmque exprimant. Os quidem appellat Apulejus *veſtibulum animi*; ſive ſolet per illud foras excurrere; ſive ex ore ipſo, tamquam ex veſtibulo, patet liber ad interiora progreſſus, proſpectuſque. Lingua verò (inquit Ambroſius, *legatione cordis fungitur*, ut Aaron pro Moyſe, frater prò fratre, tantâ ſcilicet, quanta eſſe debet inter fratres, conſenſione. Nec appoſitè minùs dixit Baſilius, verba eſſe, *στίγματα τῶν ψυχῶν* eò alludens, ut in mancipiis notæ quædam ſeu ſtigmata dominorum inurebantur, ita inhærere in verbis impreſſam aliquam animorum ſimilitudinem. Martialis autem cùm verſus ſuos appellat vernulas. *Nihilque præter vernulas meos miſi*, etſi de illis nec ſentit, nec loquitur ſatis magnificè, indicat tamen acutus Poëta, quemadmodùm ex vernularum coloribus, inſignibuſque herum, ejuſque affectationes, ex verſibus quoque, & Poëtam, & Poëtæ mores intelligi.

Addam ego aliquid magnificentius, ut ſtylum nobilitem, & ab ipſâ vernularum, & manci-

piorum humilitate videar eximere. Quid enim ſtylus eſt (Auditores) niſi valentior naturæ partus, fœtus ingenii defœcatior? Quid ſunt libri, niſi grata & parentis memor poſteritas, ingenua ſoboles, prognatæ è cerebro felices Minervæ. In liberis autem quis neget parentum naturam atque indolem emicare? nam quid tantoperè prolem ament parentes, niſi quia in prole tamquàm in ſpeculo ſeipſos intuentur?

Quamobrem ita valeant.

Atque ut res tota fiat manifeſtior, orationem, hiſtoriam, Epiſtolam, & alia id genus ſtyli exercitamenta, commodè dixerim ſtriatas ſeu Canaliculares imagines: illæ longè aliud exhibent in receſſu, quàm quod primâ fronte objicitur. Crederes, vel colores temerè & ſine arte permixtos, vel infectum aliquid; quod pictoris manus, vino magis ebria, quàm colore, delinearit. At ex alio ſitu ſi rem totam aſpexeris, occurrit protinùs aut Chriſtus pendens è ſtipite, aut virgo triumphali curru Cœlum invecta: nunc aquila irretortis oculis ſolem contemplatur; nunc ſerpens arduus & linguis micat ore triſulcis: modò leo benè jubatus, cervus fugiens lepuſculuſque, aut quid, ſi vultis, inſperatius. Venit mihi liber in manus; librum aperio, quid tandem illic eſt? innumeri Characteres in mille formas, voceſque digeſti: quid præterea? ἡροδότου ἁλικαρνασῆος βίβλοι ἐπιγραφόμεναι μοῦσαι, Ducentorum penè annorum Hiſtoria, rerum Perſicarum ſeries, Crœſus regno per Cyrum ſpoliatus, Cyrus per Tomyrim victus, fugatus Xerxes, regnantes Magi, &c. Et hæc quidem toto ſparſa libro. At in ſingulis retro paginis offert ſe mihi Herodoti natura mollis & effeminata, uni voluptati

Exercitamenta ſtyli ſtriatarum inſtar imaginum.

In receſſu naturam authoris exhibent.

Herodoti indoles.

luptati ſerviens, & verborum deliciis; ut in eo novem Muſas invenias, Apollinem nullum; &, quod Dio notavit, remiſſa, dulciſque narratio fabuloſæ Hiſtoriæ ſuſpicionem præbuerit. Das fortè Cornelium Tacitum. Hîc Tiberii principatus, illic Sejani miſerabilis exitus, immanitas Neronis, quatuor Principes ferro interempti, turbatum Illyricum, Galliæ nutantes, perdomita Britannia, variæ & dignæ politicis oculis imagines fideliter, ſi autori credimus, ſine irâ & ſtudio delineatæ. Sed falleris, Corneli, falleris; & in aliorum naturam moreſque dum inquiris tam ſollicitè, prodis tu, Tacite, tuos; prodis ingenium durum aſperúmque; naturam prodis iracundam, atrâ bile nigricantem, ſuſpicioſam nimis, & omnia ſiniſtrè interpretantem. Quem nunc vultis aperiam? Famianum Stradam de bello Belgico? Curioſa imago vel ipſâ placere poſſit novitate. Hîc ſtatim videas Caroli Quinti abdicationem, Philippi ſecundi pietatem, virilem Margaritæ Parmenſis conſtantiam, ſcelerata fœderatorum Concilia, emergentem paſſim in Belgio Hæreſim, quid plura? Trajectenſis expeditio deſcribitur, capitur Tornacum, expugnatur Oldenarda, Antuerpiam ponte Scaldico Princeps Parmenſis Alexander ingreditur. Perge. In eâdem ipſâ imagine oſtendit ſe Famianus Strada, vir, niſi me fallant oculi, in quo bilis plurimùm, quam tamen virtus, & vitæ ratio temperarint; melancholiæ quantum ſatis, non illius quidem, quæ tetrica & moroſa eſt, ſed quæ ſoliditatem afferre ſolet ingenio.

Indoles Cornelii Taciti.

Indoles Famiani Stradæ in ſtylo apparet.

Video, rem à me ornari imaginibus; ſed mihi quoque non eſſe ornandam Claudii Porti-

Epiſtolæ cur ad colligandos abſentes valeant.

cum intelligo : ad alia veniamus. Quid (amabo) tantoperè valent litteræ, ad eos amicitiâ copulandos, qui toto penitùs orbe diviſi ſunt? Audio, nonnullos eſſe, qui miſſilibus litteris committi putent ſpiritus, ut vocant, ſympathicos, atomos aduncas, & benè ungulatas, expedita corpuſcula, quæ ſimul ut reſignantur litteræ, *quà datâ portâ ruunt, ac velut agmine facto* incurrunt in legentem, prehendunt hominem, & vel invitum trahunt ad abſentis amicitiam. Nugæ ac folia. Probabilior eſt hæc conjectura, in Epiſtolis, ut exteriùs apponitur ſigillum familiæ, gentiſque Symbolum, ita interiùs, per ſtylum, iconem animi, & naturæ imaginem delineari; quâ objectâ, amici in ſe invicem exardeſcant. Et quoniam mentio de Epiſtolis incidit, accipite aliquid dignum hoc loco.

Quia ſcilicet ſcribentis imaginem in ſe habent.

In Epiſtolis quanta ſit ſtyli vis pro naturâ demonſtrãdâ inſigni exemplo illuſtratur.

Cotonus, virum nomino cùm ſingulari & mellitâ eloquentiâ, tum heroicâ virtute toto orbe ſpectatiſſimum, ille (inquam) noſter, cui regius, aut cœleſtis, ne mentiar, puppulus adblanditur. Ut Henrico Magno dabat aures confitenti, ita erat optimo Principi Fidelis imprimis, carus in paucis. Eximia virtus viri, & gratia, quâ valebat apud Regem plurima, venit tandem in Aulicorum invidiam, eoque faciliùs, quòd noſtrâ in veſte apparebat; fit enim ferè, neſcio quo noſtro fato, ut veſtem hanc invidentia perſequatur. Hoc igitur ſtudere unum malevoli homines, ut Regi Cotonus ſuſpectus veniat. Litteras adornant, mentiuntur Characterem, Cotoni ſigillo muniunt. Injectæ furtim in conclave regium litteræ; quas ubi offendit Henricus, reſignat pro ſuâ familiaritate, legit, plenas comperit gravi-

bus in regiam familiam contumeliis. Hîc hæſitare primùm, ſuſpicari Cotoni fidem; mox accuſare ſeipſe; damnare ſuſpicionem; odorari calumniam; nihil credere. Exindè adit hominem (is tum fortè pro ſalute regis vota de more faciebat) cubiculumque ingreſſus, vultu ad iracundiam compoſito, tune, inquit, Cotone, manum hanc noſti? novi equidem reponit Cotonus, manum tibi ſacram, mea eſt, meam agnoſco; ſed ubi olim, quod ſpero, tuis erit laudibus operata, agnoverò meam multò lubentiùs; & datas litteras cùm ſerenâ fronte; ſui nimirùm ſuæque innocentiæ ſecurus, legeret; ſubridens hîc bonus Princeps, & arctè complexus Patrem, teneris, inquit, maledice, teneris: Teneor enim verò, ſubjungit ille, & beneficiis tuis teneor immortalibus, quibus velim hoc addas extremum, Princeps optime, ne talium me litterarum Authorem credas eſſe, adornata calumnia eſt. Ita omninò, ut dicis, Cotone, crediderim, mentiri Characterem, ſuffurari ſigillum invidia potuit, non ſtylum, aut naturam imitari: tantùm in te profectò bilis non eſt, quantùm habet ferreus hic & vehemens ſtylus. Admiramini (ut video) in principe quidem regiam magnitudinem animi minimè ſuſpicacis, & mirabilem in detegendâ calumniâ ſagacitatem; in ſtylo verò indicandæ naturæ vim incredibilem. Dii boni! manus, character, ſigillum, Cotonus ipſe contra Cotonum conſenſerant; unus ſtylus, quòd naturæ Cotoni non conſentit, prodit calumniam, & innocenti patrocinatur.

Sed ſi mihi, in re præſertim ſatis novâ, parùm

Fraudes quæ in librorum authoribus mentiendis ſubrepunt.

creditis, repetite memoriâ, quot in librorum authoribus fraudes olim ſubreperent, hodiéque ſubrepant. Fuere qui, ut ſterilitatem, credo, conſolarentur, alienos partus pro ſuis, adoptione non ſatis legitimâ, vendicarent; nec dubitarunt alii præfigere erroribus ſuis Authores Catholicos, Hieronymum, Auguſtinum, Chryſoſtomum, &c. aut viris innocentibus tenebricoſos partus calumniosè affingere. Ita ab Arianis queritur magnus ipſe Athanaſius, Epiſtolarum, librorumque, quos ne de facie quidem noverat, ingentem ſibi familiam eſſe impoſitam; quò faciliùs in ſuſpicionem hæreſeos, odiumque publicum vocaretur. Sunt & nonnulli prudentis ſtultitiæ homines, qui, ut Apelles poſt Tabulam, ſic ipſi, aut tacito, aut diſſimulato nomine, anxiè expectant populi judicium; jactoque, quod ajunt, lapide, manum continuò ſubducunt: ſed omnes illæ artes nocendi, faciliùs ne dicam an feliciùs, tandem aliquandò deteguntur. Gelaſius Pontifex in Concilio Romano Orthodoxos ab hæreticis, veros à falſis, à ſpuriis legitimos diſcrevit. Quânam verò arte, quo lapide probavit libros, ſi quæritis, dicam primùm cum Pythagorâ, eam eſſe mendacii naturam, ut extremâ caudâ ſemper nigricet; deindè ex inſigni parachroniſmo, aut ſtolido quodam errore fraudem interdùm divinari. Deniquè Gelaſio, Patribuſque fuiſſe ſtylum pro Lydio lapide. Comparabatur liber cum libro, ſtylus cum ſtylo, natura authoris inquirebatur, quæ niſi in opere tota appareret, fiebat ex hoc vehemens, nec temeraria fraudis ſuſpicio. Philoponus quidam cùm Synodum quartam Oecumenicam fur-

Multiplici viâ deteguntur ſed nullâ re meliùs quàm ſtylo. Ut ſæpè olim probatum fuit.

tivo & Anonymo libro damnaret paſſim, proſcinderétque, detecta eſt verſipellis Hæretici aſtutia, quòd, ut ait Photius Patriarcha, *in ſtylo eſſet ſui ſimilis*; itaque irrito fallendi labore, perditâque operâ, ex Philopono defecit in Matæoponum. Tantùm habet ſtylus uſu ipſo & exemplo, ad naturam indagandam commoditatis!

Si quis tamen venerandæ antiquitatis judicio ſtare nolit, provoco ad experientiam veſtram. Agite, Auditores, attendite, divinate, unam aut alteram propono periodum, authoris nomen taceo, ut ſit divinandi locus. *Conſulite*, inquit, *commentarios veſtros, illic reperietis, primum Neronem in hanc ſectam, cum maximè Romæ Orientem, Cæſariano gladio ferociſſe; ſed tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur; qui enim ſcit illum, intelligere poteſt, non niſi grande aliquod bonum à Nerone damnatum. Tentaverat & Domitianus portio Neronis de crudelitate &c.* Non ultra progredior. Admurmuratis, plurimùm bilis, & quidem atræ hoc ſtylo monſtrari. Divinaſtis, Tertullianus eſt, ferreus ille vir portentoſæ ſeveritatis, Afris caloribus aduſtum ingenium, exſiccatum Montani jejuniis. Pergite, quid ea quæ ſequuntur de ſene Centenario tamen vegeto? *Ecce centenus ætatis circulus tibi volvitur, & oculi lumine vigent; pedes imprimunt certa veſtigia; auditus penetrabilis; dentes candidi; vox ſonora; corpus ſolidum: cani cum rubore diſcrepant; vires cum ætate diſſentiunt, non memoriæ tenacitatem antiquior ſenecta diſſolvit; non callidi acumen ingenii frigidus ſanguis obtundit; non deniquè tremula manus per curvos ceræ tramites*

Hodieque probare poterit quiſquis artem iſtam divinandi ex ſtylo exercere voluerit.

Sive in ſacris ſcriptoribus.

*In Apolog.*

*errantem ſtylum ducit. Futuram nobis reſurrectionem in te Deus oſtendit, ut peccati ſciamus eſſe, quòd multi adhuc viventes præmoriuntur in carne, juſtitiæ, quòd adoleſcentiam alienâ in ætate mentiris.* Video, prurit vobis lingua; bilem dicitis cum ſanguine; & quidem ſubtiliorem. Conjecturam accipio; gratulor vobis, Hieronymum in intimâ Eremo latentem detexiſtis, celerrimi ingenii, & igneæ naturæ virum, adhuc humanioribus litteris apprimè excultum. Jam verò ſi perceptus auditione ſtylus, velociter tranſiens, animúmque prætervolans naturam tamen ſubindicat; quanta vobis lux ad eam penitùs inſpiciendam, ex accuratâ & meditatâ lectione affulgebit? Legite ergo, Auditores, meditamini lætam illam Auguſtini naturam, hilarem, plenam ſanguinis; ubique ſcintillantem: mitem & ſuavem Ambroſii: Gregorii temperatam: auream Chryſoſtomi; aliorum aliam; ſed Saleſii imprimis amabilem totam, ſanguineam, & amore liqueſcentem; in quâ tu effingendâ, Collega noſter, Saleſii meritis, pietati Toloſatium, oratorio muneri, omnium votis cumulatè ſatisfeciſti. Unum tibi tamen excidit præter voluntatem, ut unâ manu, iiſdemque coloribus, te ipſe cum Saleſio totum expreſſeris. Quòd ſi ſacri homines, quorum præcipuum ſtudium in caſtigandâ naturâ verſatur, naturam tamen illi ſuam in ſcriptis produnt; ut quæ alibi jacebat extincta, ſuis hîc è cineribus reviviſcere videatur; quid de profanis ſentiendum genio magis indulgentibus? Cæſarem ait Fabius, quo vigore pugnavit, eodem dixiſſe, tam ſtylo promptum, quàm ferro. In Tullio emicat bilis plurimùm,

Sive in profanis.

& ſanguinis; undè in eo Aſiatica quædam luxuries. In Demoſthene atræ bilis & flavæ commercium, ingenium occultum, tempori ſerviens, & opportunè diſſimulans. De Poëtis quid dicam? Diine hunc ardorem mentibus addunt? an ſua cuique Deus fit dira cupido? ego quidem in illis non tam Apollinem illum ſuum, quo ſe furere ajunt, quàm naturam ipſam vegetam, bilioſam, furentem, vino quandoque inflammatam crediderim apparere. Superſedeo ſingulis, ne vobis hujus diſputationis fructum, hoc eſt caſtam divinandi voluptatem videar invidiosè præcerpere.

Nec verò unius privati hominis tantùm, ſed totius etiam gentis naturam, ex ſtylo & linguâ intelligas; ex Latinâ quidem imperioſam Romanorum indolem. Habet illa nervos, autoritatis plurimùm, brevitatem ad imperia; ut in eâ libidinem dominationis, quæ Romanis inerat, vivere adhuc credas, quando in omnes fines latè una excurrit, & in cæteras linguas tyrannicè dominatur. Fuitque illa veteris reipublicæ politica, ut, quia mores & naturam lingua circumfert; cum linguâ mores quoque ſuos communicarent; Barbarique non tam Romano more loquerentur; quàm ſaperent. In noſtro verò idiomate, quatenùs affectat leniſſimas vocalium, duriores exſibilat conſonantes, quid aliud ſignificatur, niſi ſuave Gallorum ingenium, ab omni morum aſperitate alienum? in Hiſpanicâ linguâ quis non videat tarditatem gentis, & ingenitam Hiſpanis gravitatem? Undè uſurpare ſolitum aiunt Carolum quintum, placere ſibi in imperiis Latinam, Gallicam in civilibus vitæ

Totius gentis naturam ſtylus & lingua indicat.

officiis, in perorando Hiſpanicam; adeo ut cùm ſit commune quoddam cujuſque nationis ingenium, tamquam unus ſpiritus toti corpori infuſus, ſingulæ tamen partes inter ſe differant nonnihil; id quod commune eſt, communis lingua, quod cuique proprium, proprius cujuſque ſtylus deſignet.

Demonſtravi hactenùs veterum autoritate, uſu & exemplo majorum, aliiſque argumentis, id quod primùm propoſueram, Phyſiognomiam Rhetoricam eſſe omnium certiſſimam; ut dubitare nemo poſſit, quin è ſtylo natura ſaltem probabiliter arguatur. Priuſquàm ad alterum prograediar, audite rem plane mirabilem: ab uno veſtrûm accepi, reddam omnibus. Lugduni ferunt eſſe apud hominem curioſum quamdam machinam, rotatis quæ vulgò circumferuntur horologiis, valdè ſimilem. Phyſiologium meliùs ego dixerim, quàm horologium; hîc etenim.

Stylus cum horologio ſeu phyſiologio Lugdunenſi comparatur.

*Toto naturæ vultus in orbe*
*Frigida cum calidis pugnant, humentia ſiccis.*
*Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.*

*Ovid l. 1. metamorph.*

Hîc pro horarum notis varias hominum naturas, principes humores quatuor pro ventis Cardinalibus, affectus animi tamquam ventos ſecundarios.

*Docta manus pictis diſcrevit in ære figuris,*
*Bilis aquam contra, cum ſanguine terreus humor.*
*Agmen cuique ſuum; flavæ comes addita bili*
*Ira rubet, palletque rubor, criſtiſque ſuperbit*
*Ambitio, & ſimiles pendent ex igne pyrauſtæ.*
*Phlegma timor ſequitur, jam terga fugacia vertens:*

*Nec procul hinc luctus ſparſis de more capillis*
*Pigraque ſegnities. Illinc alia agmina longè*
*Sanguis habet, nam nudus amor, riſuſque, jocique*
*Ad numerum inſtructi, junctis in mutua dextris*
*Fœdera, feſtivas agitant ſine lege choreas.*
*Quid memorem atratæ bilis feralia ſigna?*
*Mordaces longo ſubeunt examine curæ,*
*Corda dolor pulſans, incerta ac pendula ſemper*
*Suſpicio, & nodum mala deſperatio nectens*
*Indecorem. In mediis & toto vertice ſupra eſt*
*Dux ſtylus, hic naturæ index ubi tangitur, omnem*
*Vertitur in gyrum, nec mobilis ante quieſcet*
*Quam tibi naturam indicio monſtrarit aperto.*

Adhæc ſi cauſam exquiro, cur hic ſtylus naturam indicet, reſpondebitis fortaſſe, rei fictæ causâ exquirendâ ingenium fortè torqueri. Nec dubito quin aliqui, quia rem totam nec craſſioribus vident oculis, nec manu contrectant, magiam hîc ſuſpicentur, viri utique boni, &, quòd jurare auſim, ne extremis quidem unguiculis Magi. Addent ſubtiliores alij, iis affectuum & humorum notis reſidere ſpiritus cuique naturæ proprios, bilioſos, melancholicos, molles, iracundos, alióſque; in acum verò verſatilem, ſeu ſtylum, ab eo, qui tangit, affluere ſimiles ſpiritus, ſeu tenues ejus, quo abundat, humoris particulas; quæ ſtylum tamdiu torquent, verſántque, donec cum ſui ſimilibus cohæreant & conſocientur. Sed videant hæc, quorum intereſt; videat, palleatque

*Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.*

Vobis ego (viri clariſſimi) undè petatur tanta ſtylum inter oratorium, & naturam conſenſio, uti ſe- Secunda pars diſſertationis unde peta-

tur ſtylum inter & naturam tanta conſenſio cauſa triplex.

cundo loco me facturum recepi, explicabo, atque hujuſce rei triplex mihi cauſa occurrit. Una Phyſica, muſica altera, tertia faceta.

Prima Phyſica.

Tum ex vetere Philoſophiâ.

Sunt verba expreſſæ cogitationum imagines: Loquere, aiebat Socrates, ut te videam; quaſi imaginem totius hominis, atque ideam naturalem in verbis agnoſceret: animus enim cùm neque per ſe ipſe videri poſſit, neque ſua coram ſenſa expromere, verba emittit ſui vicaria, quæ eam, quam habent, mentis imaginem ubique circumferant. Ad efformandas autem cogitationes quarum labori unus non ſufficit, vocat in partem operis tum organum ipſum, tum ſpiritus, ut appellant, animales, idoneos operantis miniſtros, & ſubſidiaria corpuſcula; quæ, ut ex vario temperamento varia enaſcuntur, ignea, aquea, terrea, aeria; ita fit, ut in ipſis, quas fingunt, rerum imaginibus, ſuam quoque manum, colorem, naturam, & notam temperamenti aliquam inurant. Quid, quæſo, è ſomniis naturam conjectari dicunt? quid ea, quæ delirans, dormitanſque Homerus temerè effutierit, hominem luculentiùs produnt, quàm accuratiſſimæ vigiliæ? ratio in promptu eſt. Quamdiu vigilat animus, ipſe operi intentus eſt, miniſtroſque illos ſpiritus dirigit, caſtigat, coercet imperio; ut in opere non tam famulantum manus, quàm regentis imperium appareat: at ſi ſopitus, oſcitanſque totum permittit miniſtrorum arbitrio ac libidini; tùm verò licentiores illi, dirigente nullo, ſuam quiſque naturam & ſequuntur, & in opere ſequacem relinquunt. Idémque mihi facere videntur in anguſto hominis cerebello, ad fingendas rerum imagines, quod

*Vaſto Cyclopes in antro* *Virg. Æn. l. 8.*
*Brontéſque Steropéſque & nudus membra Pyragmon.*

ad cudendum cælandumque variis figuris Æneæ clypeum. Nam

*Tres imbris torti radios, tres nubis aquoſæ*
*Addiderant, rutili tres ignis, & alitis auſtri*
*Fulgores nunc terrificos, ſonitúmque, metúmque*
*Miſcebant operi, flammiſque ſequacibus iras.*

Eſt igitur hæc naturalis rerum ſeries, ut verba cogitationem, ſpiritus animales cogitatio, iſti naturam ſeu temperamentum conſequantur.

Sed ſi cui cupido rerum novarum placet, aliter cum recentioribus Philoſophari, ſequatur, per me licet, novam Philoſophiam; forſitan & illuc ducet quò tendimus. Operationes mentis volunt eſſe, aut confuſas inter ſe atomos, aut permixta variè elementa. Accipio ultro quod datur; nam & illæ atomi, ſeu elementorum corpuſcula, cùm per venas, arteriaſque imbutas temperamento, evocentur undiquè ad cerebrum, neceſſe eſt, & ipſa quoque colorem temperamenti accipiant. Quemadmodùm enim aquæ per ſubterraneos canales derivatæ, tetrum ſulphuris odorem exhalant, durantur in lapides, denſantur in picem, partim bitumine corruptæ, partim ære, ferro, aliiſque metallis infectæ; nunc frigidæ fluunt; nunc calidæ exæſtuant; aliquandò tepore langueſcunt; ſervant deniquè omnes ejus loci ac canalis naturam, quo ad nos uſquè invectæ ſunt: ita pariter ejuſmodi corpuſcula, per corporis partes variis affectas humoribus traducta, ignem ſpirant, olent melancholiam, in Tum ex Philoſophiâ novâ.

pituitam diffluunt, in ſanguinem colorantur. Atque hæc eſt ratio, quam dixi Phyſicam, ex utriuſque, ut videtis, Phyſicæ principiis petitam.

Secunda Muſica, ſeu ex Muſicæ principiis petita.

Sequitur Muſica, eáque, ut ſpero, non omnium auribus, ingrata, quando ſuus hîc eſt muſicis locus. Date (A A) quod mihi pro meo jure ſumere non auſim, in homine eumdem habere ſitum atque ordinem, elementa, quem in mundo obtinent; ut infimæ omnium terræ aqua ſupernatet; aquam aer veſtiat; aëri ſuperior ignis emineat. Deindè melancholicos eſſe illos, in quibus plus terræ, phlegmaticos aquâ fieri, humorem ſanguinis ab aere, bilem ab igne æſtimari. Tertiò, id quod obſervat Africanus major apud Tullium, in mirabili illo Scipionis ſomnio, cæleſtem muſicam enarrans: Ita, inquit, natura fert, ut duo extrema graviter & acutè ſonent, cætera, prout ſunt extremis propiora, ſonum habent variè temperatum. Ex quibus jam colligo melancholiam in homine ſonare graviter, bilem acutè, pituitam & ſanguinem temperatè; ſive, quod idem eſt, gravem eſſe melancholici ſtylum, acutum bilioſi, Phlegmatici humoris, & ſanguinei varium. Quid quod in muſicis non ex diſpoſitione tantùm, ſed ex ipsâ naturâ, & mole corporum ſonus variatur. Si plures Cyathos aquâ, oleo, vino, aliiſque liquoribus impleas, tum cujuſque cyathi oram, ac labra digito impellens, totum deſcribas orbem, familiari conſtat experimento, non omnes ſimiliter ſonare. In animo idem fieri dixerim, quod in cyatho; ut hîc quidem ſoni, illîc vero ſtyli diverſitas ex variâ humorum naturâ, & temperatione proficiſcatur. Quoties Apollinem video citharâ inſtru-

ctum, quæro apud me, quid citharam appingunt Apollini? quid cythara tot nervos habet diſtinctos intervallis, & ſonis, alios quidem graciles, craſſiores alios? mihique ſic interdùm egomet reſpondeo, cytharæ nervis, fidibuſque ſignari poſſe naturas hominum multiformes: nam ut aliter cithara ſonat, ſi nervum gracilem, aliter ſi craſſiorem pectine perſtrinxeris, ſic omninò in ſubtilem, igneámque naturam illapſus Deus longè alium dabit ſtylum, quàm ſi terreſtrem ac gravem inſederit. A muſicâ ad facetias deſcendamus.

Tertia faceta ex fabellâ multiplici.

Terentius Romanæ Comœdiæ princeps fabulam dederat bellam ſatis, nimiò plùs urbanam, ut in homine præſertim Afro tantùm ineſſe Urbanitatis Romani mirarentur; & jam acutuli quidam in Terentii ſtylo Lælium & Scipionem videre ſibi viderentur, quamquam leviter perſonatos. Ad Mimos uſque ſuſpicio fraudis venerat; & aliquot illorum, malè credo excepti à Terentio verberones, cùm muſſitarent, fieri Romanis fucum, vendi populo ſua pro peregrinis, explodendum, relegandumque in arenas Lybiæ Terentium: Gillo unus de grege, ſcurra primarum partium, ſermonem aliò detorquens, ecquid, inquit, temerè ſuſpicamini, ecquid habent natura & ſtylus tam affine, ut unum ex altero cognoſcatis? bellè propoſitum, ait Gelaſtus (erat is, ut ex nomine intelligitis, ridiculum, ſi quod umquam, animal) quæſtionem arripio, profligóque; & occiput leviter manu perſtringens (ferunt enim ita excitari memoriam rerum præteritarum) revoco, inquit, rem ab Heroicis uſquè temporibus penè abolitam.

Finxerat hominem Prometheus tàm affabrè, ut interiori partium compagini exterior facies ex æquo reſponderet. Jamque, ut fit in horologiis, notari cœpta erant in vultu ſigna quædam naturæ, & latentis animi affectiones. Concurritur undiquè ad viſendum opus: cumque in eo alia alii laudarent, & ſua quemque haberet voluptas; hîc Momus, qui tum aderat, & ſpectator, & cenſor, naſum in eo aut nullum videns, aut juſto breviorem: Næ tu deſipis, ait, bone vir, qui ſine ſtylo, Horologium Soli exponas. Ecquid in ambitu deſcriptæ horæ, niſi horas ſtylus deſignet? Viſum eſt Momi jocantis conſilium ſatis ſerium; intellexitque Prometheus, fore pretium operæ, ſi in hominis facie ſtylum inſtitueret. Ergo opus retractans, argillam inſerit homini; inſertam nunc producit liberaliter; nunc contrahit; modo amplificat; extenuat modo; in mille deniquè formas naſum fingit. Habebat autem fortè alterâ manu recenti furto ſubductum ſolis ignem; qui ignis in naſum vibratus, ut in opacum corpus, umbram projiciebat modò in bilem, modo in melancholiam, aliáque circumpoſita naturæ ſigna, prout ſtylus ſeu naſus variè fingebatur. Felix & curioſum nimis horologium, ſi ad noſtra uſquè tempora perſeveraſſet integrum; ſed ignis ille, invidiâ Deorum, qui interiorem hominis naturam ſibi unis cognitam volunt, jam penè totus extinctus eſt; ipſaque naturæ ſigna, ſuperſtite quidem, ſed inutili ſtylo, apparere in vultu deſierunt. Habetis cur ſtylus aut naturæ index ſit, aut eſſe dicatur.

Subridens ad hæc Gillo, naſutum, ait, enim

verò hominem, qui ſtylum quo de agimus naſum interpretetur, rem mihi crede, Gelaſte, ut naſo ſatis valeas, ne ſubodoratus quidem es. Accipe aliquid melius. Prioribus mundi ſæculis, cùm viris doctis, Poëtis præſertim plumæ ſuccreſcerent (nunc miſeri vix pilos habent, plumarum rudimenta quædam aut veſtigia) plumarum color naturam cujuſque indicabat. Lepidum ſpectaculum! Poëtas vidiſſes paſſim in corvos nigreſcere; albeſcere in cygnos; virideſcere in pſittacos; verſicolores eſſe inſtar Pavonum; ſed ſine plumâ..... Gillonem ita narrantem occupavit importunè Terentius, & populari inflatus aurâ, quid hîc ſocii dignum vobis aliquid, hoc eſt bipedum nugaciſſimis. Imò vero excipit Gillo, expectamus aliquid dignum Terentio, hoc eſt Principe nugaculorum, omnia à me ſeria accipite, inquit, dignam Africâ noſtrâ metamorphoſim. Et cæteris ex Magiſtri ore pendentibus, ſic ille graviter & heroïcè præter morem exorſus eſt.

*Paſtor fortè Tymon cæco projectus in antro,*
*Sic placitum ſuperis, nullo comitante trahebat*
*Vitam infelicem, miſer heu! neque carcere ſolem*
*Anguſtis potuit furtivum admittere rimis.*
*Unus erat miſero calamus; comes una jacenti*
*Fiſtula; liventi tritam hanc tractare labello;*
*Huic inſtare diu, noctúque, & ſæpe gravatus*
*Ipſa etiam vani deliria credere ſomni.*
*Dumque animam immittit calamo, calamúſque remittit*
*Inſpiratam animam, ſic per duo luſtra viciſſim*
*Cum calamo paſtor alterno munere certant.*

*Donec fata Thymon vitæ indignatus iniquæ,*
*Non alium Hæredem niſi te mea fiſtula dicam:*
*Hanc animam tibi depono: tu quæſo Thymontis*
*Et memor, & noſtris hæres ſuccede querelis.*
*Dixit; pendentemque labris primoribus auram*
*Depoſuit memori calamo; namque ille fidelis*
*Depoſiti cuſtos animam pro pignore ſervat,*
*Vocalemque refert nullo modulante Thymontem.*

Atque ex hoc, ſocii, tandem intelligite, cur animus, Thymon ille captivus, transfugus eſſe in calamum credatur, ipſaque in ſtylo vivere natura. Hîc Gillo, bellum, ait, ex Africâ monſtrum; natum herclè apud nos crederem, aut longo uſu cicuratum. Eſt nimirùm, ait Gelaſtus, familiare illud Terentio noſtro, ut nihil afferat quod non Romanam potius ſapiat urbanitatem, quàm Afram, peregrinamque Barbariem. Plura dicere parabant, niſi Lælius & Scipio interveniſſent, fabulam, quam ipſi fortè ſcripſerant, Terentio in ſpeciem gratulaturi. Aſſurgere Terentius venientibus; aliò mimi ad nugas ſecedere. Nobis nec ultra vacat mimos ſequi nugantes, nec licet tantorum virorum nos immiſcere conſuetudini. Ad noſtra redeamus.

Diſſertationis tertia pars. Phyſiognomiæ Rhetoricæ præcepta traduntur.

Phyſiognomiam habetis Rhetoricam. Stylum vidiſtis naturæ indicem; undè petatur ſtylum inter & naturam conſenſio, intelligitis. Curioſitatem tamen veſtram non tam expleſſe mihi videor, quàm incitaſſe. Expectatis, credo, præcepta novæ artis: quare expectationem veſtram ne diutiùs morer, fallamve, ad præcepta ſtatim venio.

Primum præceptum eſto. Stylum à ſtylo diſtinguere

ſtinguere. Sunt enim genera dicendi penè infinita, humile, temperatum, ſublime, igneum, frigidum, tardum, promptum, pingue, exſuccum, vegetum, cadaveroſum, tenue, inflatum, aliaque inter ſe tam diverſa, ut homines non ſtylo magis, quàm vultu ſimiles duos invenias.

Primum. ſtylum à ſtylo diſtinguere.

Alterum eſto. Quam quiſque ſtylus naturam ſignet cognoſcere. Ego autem ſic exiſtimo, biliosæ & igneæ naturæ ſtylum eſſe acrem, ſubtilem, acutum, ſublimem, illuſtrem, metaphoricum, vehementem; nihil enim igne eſt acrius; ſubtilis eſt; surſùm fertur ſuopte nutu, prioris loci ambitioſus; omnia evertit; nihil non movet loco; latere neſcius quærit totus videri. In eo itaque ſtylo obſerves acumina ingenij, lumina orationis, ſententias, audaces metaphoras, tumidas hyperboles, pugnantes antitheſes, figuras illuſtriores, vehementiores motus, ut mihi mons Æthna flammis exæſtuans, qualem Poëta deſcripſit, bilioſæ naturæ exemplum illuſtre videatur

Secundum. quam quiſque ſtylus naturam ſignet cognoſcere quem ſtylum bilis habeat.

*Ipſe ſed horrificis juxta tonat Æthna ruinis;*
*Interdùmque atram prorumpit ad æthera nubem,*
*Turbine fumantem piceo, & candente favillâ;*
*Attollitque globos flammarum, & ſydera lambit.*
*Interdùm ſcopulos, avulſáque viſcera montis*
*Erigit eructans, liquefactaque ſaxa ſub auras*
*Cum gemitu glomerat, fundóque exæſtuat imo.*

*Virg. Æn. l. 3.*

Quis veſtrum, ſi naturam inquirimus, ex igneo illo ſtylo bilioſum montem non ſuſpicetur.

Humor vero ſanguineus ſtylum dabit optimi coloris, ſuccíque, hilarem, feſtivum, comptum, pinguem, luxuriantem, floridum; humor enim

Quem ſanguineus humor.

iſte, quidquid abluit, ut Medus alter, veſtit floribus; hîc læta omnia, picti florum colores, denſæ opacitates nemorum; fontium fluviorúmque liquidæ perennitates, amæniſſimi arborum ordines ad voluptatem conſentiunt; hîc omnes elocutionis veneres; verba exquiſita ad delicias: lucum crederes eſſe Veneris

*Umbroſumque nemus, quò non admittitur ales*
*Ne probet ante ſuum divâ ſub judice cantum.*
*Quæ placuit, fruitur ramis, quæ victa, recedit:*
*Vivunt in Venerem frondes; omniſque viciſſim*
*Felix arbor amat.*

Quarto quem pituita.

Pituitæ convenit genus dicendi molle, impeditum, tardum, parùm cohærens, hians ac rimarum plenum, humile, nubilum.

Quem melancholia.

Melancholiæ autem grave, obſcurum, frigidum, ſiccum, planè terreum, niſi exhalationem terream bilis quandoque accendat; vibret in lanceam; torqueat in fulmen; duret in grandinem: vix enim credas, Melancholiam, ſi bilis efferat, bilem temperet melancholia, quanta indè natura, quantum ingenium, quantus ſtylus ex utriuſque communione exiſtat. Pituitæ & Melancholiæ naturam ſtylumque familiariter, uti ſolet vir quo non vidi perſpicaciorem, & populari ſimilitudine explicans; Caſtaneæ coctæ melancholiam, pituitam pomo comparabo. Simul enim pomum inter prunas vim ignis ſenſerit

*Intus aqua immiſſo fervet tenuata calore*
*Exultatque animis; nec ſe jam pelle coercens,*
*Grandiùs ire parat; verùm ſine murmure ſtridens*
*In tenuem exſudat fumum, multoſque vapores*

*Solvitur, & tandem pomi vaneſcit inanis*
*Impetus* .... ſtylum habetis Phlegmatici mollem enervémque.

*At ſi caſtaneam terreſtri è ſemine flamma*
*Corripiat, ſubitò naturam oblita priorem,*
*Illa novum molitur iter, per viſcera matris*
*Fit via vi; ruptus toto volat æthere cortex,*
*Fulminis in morem, & crepitantia fragmina paſſim*
*Aure ſonant; veluti cùm rumpitur horrida nubes.*

ita omninò ſonat elata per bilem Melancholia.

Tertium præceptum erit, ut cujus naturam quæris, ſtylum diligenter examines. Atque in judicio ut minùs erres, id primùm obſerva, quâ ille ætate, & ubinam gentium ſcripſerit. Quid ferat ætas, locuſve, aurumne, an plumbum: ſuus enim ineſt cuilibet ætati color, guſtuſque; nec eadem placere nobis, quæ majoribus, vel ipſum argumento eſt, quod enormes metaphoras amabat perditè ſuperior ætas, noſtra ferre vix poſſit.

Tertium cujus naturam quæris, ſtylum diligenter examinare quo in examine attendi debet ſcribentis ætas & regio.

Valet quoque ad mutandum ſtylum educatio: ſive præceptis natura corrigitur, perficiturque, ac penè in alteram tranſit; ſive inſtituentis animus tranſit in diſcipulum. Ego ſanè nullus dubitem, quin Cyprianus Carthaginenſis, ſeveræ rigidæque indolis, ex lectione tamen aſſiduâ Tertulliani, quo gaudebat unicè magiſtro, ſtylum duxerit longè ſeveriorem.

Educatio.

Intereſt deniquè ut ſit ſtylus fidelis naturæ index, ne quis perturbatus vehementi affectu ſcribat, dicatve. Natura enim, ut aqua, ſi turbida eſt, imaginem nec recipit nec reddit: idémque uſurpare mihi videor poſſe, quod pictor Hiſ-

Status ſeu ſitus animi.

panus ad nobilem quemdam, qui ſe pingi curabat. Ut erat is inquietus valdè, movebat ſe omnem in partem; ridebat effusè; confabulabatur; ſurgebat; ſedebat; numquam idem nec eodem in loco: ad eum pictor, ſuſpensâ manu penicillum librans, ecquid, inquit, Domine mi, tam inquietus es? ſi loquacem velis imaginem tui, tibi tacendum; ſi vivam, penè moriendum eſt. Omninò ſic habetote, cùm ſcribentis animus tranquillus fuerit, & natura pacata, tum vivam & loquacem imaginem ſui exhibiturum.

Quartum in hoc genere phyſiognomiæ exercereſe.

Poſtremum dabo præceptum. Ut te in hoc genere phyſiognomiæ exerceas, naturam in ſtylo quærito, tuam, alienam. Errabis, fateor, & te ſæpè natura effugiet; ſed per mille errores id tandem obtinebis, ne erres; fugientemque naturam certò & deſtinato ictu aſſequare.

Tota diſſertatio clauditur partim gratulando tum Rhetoricæ tum Reipublicæ.

Hæc ſunt artis mirabilis præcepta, date veniam verbo, mihi videbar non apud vos, Viri intelligentiſſimi, jam diſputare, ſed apud Rhetores meos garrire aliquid, & de more noſtro præcipere. Redeo ad vos, quæſoque, num & Rhetoricæ ſimul, & Reipublicæ gratulandum eſſe cenſeatis? Rhetoricæ quidem, quòd veteribus titulis, novum hunc etiam videat accedere, ut non Regina tantùm, aut Conciliatrix animorum, ſed ipſius indagatrix naturæ, & optima omnium Phyſiognomia habeatur: Reipublicæ verò, quòd peſtiferi & maledici ſcriptores latere non poſſint, ſuoque ſe ipſi ſtylo manifeſtent. Novimus vos, pervicaces hæretici, novimus etiam perſonatos. Prodit ſtylus ille

veſter, quam nube ſeveritatis, & modeſtiæ velo obtegitis effœminatam naturam, mollem, non ita à ſenſu abhorrentem, hæreſeos Veneno imbutam: ſpargite obſcuros meretricum partus ſine numero & ſine nomine libros: quotquot à veſtro illo tractu ſcopulis & naufragiis infami prodibunt, & ſoli ingenium, & parentum naturam circumferent. Quo ſtylo in aures animoſque hominum invaditis, ſtylus ille idem vos perimet; & quaſi Rhetoricam puderet veſtris quandoque dolis imprudenter ſerviſſe, veſtras illa fraudes, malaſque artes, omnibus tandem exponet.

Parti... exhortando ad iſtam Phyſiognomiam exercendam.

Sileant verò, A A, ſileant apud vos Phyſiognomi, Aſtronomi judiciarij, Chiromantici, aliique id genus præſtigiatores. Rhetoricam in primis amate Phiſiognomiam: non hæc tempus nativitatis incertum inquirit; manum non poſtulat rarò fidelem; non inſpicit vultum ſæpè mendacem; unum quærit ſtyli exercitamentum, ex quo plus vobìs gloriæ, quàm ipſi divinanti acceſſerit. Sinite hoc loco (viri Chlariſſimi) unumquemque veſtrûm iiſdem appellem verbis, quibus Caſſiodorum amici ſui. *Cælas*, inquiebant illi, *cælas ſpeculum mentis tuæ, ubi te omnis ætas ventura poſſit inſpicere; Contingit enim diſſimilem filium plerumque generari, oratio diſpar moribus inveniri vix poteſt.*

# INDEX
## RERUM

Quæ in hoc diſſertationum Academicarum volumine continentur.

*PETRUS PAULO CONCORS, ſeu diſcordia Petrum inter & Paulum ſalvo utriuſque jure compoſita.*

---

## DISSERTATIO THEOLOGICA.

PRimos inter Fideles diſcordia. Pag. 2
Cauſa diſcordiæ fuit æmulatio Judæos inter & Gentiles, ſeu inter eos qui de Circumciſione venerant, & qui de præputio. 2
Ex quâ æmulatione Hæreſes utrimque ortæ de Legis Moſaïcæ neceſſitate ad ſalutem. *ibid.*
Deciſa res eſt in Concilio Hieroſolymitano ſententiâ Petri in favorem Gentilium. 3
Liberati enim ſunt ab onere legis Moſaïcæ. *ibid.*
Impoſito iis dumtaxat præcepto abſtinendi à ſanguine & ſuffocato. *ibid.*
Cauſa præcepti duplex. *ibid.*
Temperamentum quoddam inter utramque gentem. Et utriuſque in communi obſervatione

conjunctio. *ibid.*
Epiſtola Synodalis ad Fratres Antiochenos. *ibid.*
Petrus paulò poſt Antiochiam veniens initio quidem cum Gentilibus vivere cœpit more Gentilium, deindè verò cum Judæis Judaizavit, ipſis etiam Gentilibus ejus exemplum ſequentibus. 4
Petro Judaïzanti reſtitit Paulus in faciem, quia, inquit, reprehenſibilis erat. *ibid.*
Quod dictum & factum Pauli difficile & omni ex parte mirabile eſt. *ibid.*
Gravitas & dignitas controverſiæ inter Patres celeberrimæ, Hieronymum præſertim & Auguſtinum. 5
Oeconomia Diſſertationis quadripartitæ. 6
Prima pars ſtatuit veritatem diſcordiæ Apoſtolicæ. 6
Sententia Hieronymi & Græcorum Patrum fuit Petrum inter & Paulum non veram diſcordiam intercesſiſſe, ſed ſimulationem diſcordiæ. *ibid.*
Cur in eam ſententiam venerint Græci Patres. 7
Diſplicuit graviter ea ſententia Auguſtino Hieronymum reprehendenti eo nomine quod videretur favere mendacio, & mendacium in ipſam ſcripturam Canonicam invehere. 7
Excuſatur & defenditur Hieronymus. Cujus mentem non ſatis fuerat aſſecutus Auguſtinus. *ibid.*
Placet media quædam via inter utrumque Doctorem. Totum reprehenſionis Paulinæ negotium ſimulatè quidem tranſigi potuit, ſeriò tamen & non ſimulatè fuit tranſactum. 8
Explicatur quomodo totum negotium ſimulatè

tranſigi potuerit. *ibid.*
Nam potuit Petrus honeſtè uſurpare legalia. *ibid.*
Quia lex Moſis, quamvis jam tum abrogata erat, nondùm tamen erat prohibita. 9
Habens ſe inſtar cadaveris recens animati, quod aliquamdiu aſſervatur, & cum honore ad tumulum effertur, quæ eſt elegans comparatio Auguſtini. 9
Id quod non negavit Hieronymus; ſed in Auguſtino reprehendit generalem nimis ſententiam de licitâ Legalium uſurpatione poſt Evangelium. *ibid.*
Quam deindè Auguſtinus ipſe diſertè limitavit ad initium Evangelii. 10
Sed quamvis fortè putarit Hieronymus Legalia fuiſſe prohibita ab ipſo Evangelii initio, non negavit tamen quin ex gravi aliquá causâ ea tum uſurpare licuerit. *ibid.*
Nec Legalium uſum Petro illicitum faciebat ſequuturus indè error Gentilium de neceſſitate Legis Moſaïcæ ad ſalutem. *ibid.*
Nam uſus ille Legalium etiam in his circumſtantiis deceptio non erat. 10
Quia fiebat ex gravi aliquâ causâ & citra intentionem fallendi. 11
Potuit ergo Petrus honeſtè convenire ſe facturum iſtam Judaiſmi ſimulationem. 11
Potuit item Paulus ſimulatè reprehendere Petrum Judaizantem. *idid.*
Quia nec materia reprehenſionis deerat in actione Petri Gentiles in gravem errorem inducente. *ibid.*
Nec jus reprehendendi ex permiſſione & diſpenſatione Petri. *ibid.*

Potuit denique Paulus ſimulatam illam reprehenſionem ad Galatas ſcribere. 12

Quod enim potuit honeſtè fieri, potuit honeſtè ſcribi. 12

Undè ſequitur non eſſe improbabilem Græcorum Patrum ſententiam. *ibid.*

Sed tota iſta res quæ ſimulatè fieri potuit, ſeriò tamen & non ſimulatè videtur fuiſſe facta, ut ſentit Auguſtinus, aliique ferè Latini Patres. *ibid.*

Gravis conjectura petitur ex narratione Pauli qui ſolus Hiſtoriam reprehenſionis reliquit. *ibid.*

In quâ nullum eſt veſtigium conventionis aut ſimulationis, ſed omnia ſeria. 13

Seu ſpectetur finis Pauli ſcribentis. 13

Quem in finem Hiſtoriam Petri reprehenſi Paulus referret. *ibid.*

Seu ſcribendi modus totus ad ſerium aliquid inſinuandum compoſitus. *ibid.*

Si reprehenſio diſ[illegible]oria fuit & non ſeria, meliùs & ad con[illegible] [illegible] Galatas efficaciùs torqueri potuit. 14

Nec præſumi debet iſta Apoſtolorum conventio ſine neceſſitate, quæ nulla eſt, ut oſtenditur in ſecundâ parte diſſertationis. *ibid.*

Secunda pars Apoſtolos defendit, & explicat quomodo intelligi poſſit vacare culpâ & Petrus reprehenſus & Paulus reprehendens. 14

Cephas à Paulo reprehenſus eſt ipſe Petrus Apoſtolus & Apoſtolorum Princeps, non vulgaris aliquis Diſcipulus, ut nonnulli malè finxerunt. *ibid.*

Vindicatur ab omni culpâ Petrus Judaizans. 15

Nulla fuit in Petro Judaizante culpa infidelitatis aut Hæreſis. *ibid.*
Nam Petrus Judaizans neque erravit errore publico. *ibid.*
Neque privato. *ibid.*
Ut ſignificat ipſemet Paulus Petri factum appellans ſimulationem aut Hypocriſim. 17
Imò neque actu externo Petrus contra fidem peccavit judaizando. *ibid.*
Non peccavit item ſimulatione fallaci. 18
Alioquin & ipſe Paulus eâdem ſimulatione peccaſſet, ut efficaciter probat Hieronymus Paulum Judaizantem comparans cum Petro Judaizante. *ibid.*
Et demonſtrans Paulum ſimulaſſe magis quàm Petrum. *ibid.*
Quo modo Auguſtinus Paulum Judaizantem excuſavit, excuſari poteſt Petrus Judaizans. 19
Nec eſt umbra ſimulationis fallacis in Petro, quæ non ſit eadem in Paulo. 20
Nam quod Petrus gentes Judaizare cogeret, fallaciam non probat. 21
Cogebat enim non docentis imperio, ſed converſantis exemplo. *ibid.*
Sed neque imponi debet Petro culpa ignavi timoris. *ibid.*
Fuit quidem aliquis in Petro timor, ſed prudentiæ timor, non ignaviæ. *ibid.*
Nec ſibi timebat Petrus, ſed Judæis ne à ſuſceptâ fide deficerent. 22
Deficiendi cauſa duplex timeri potuit. 22
Non peccavit item Petrus levitate aut mobilitate animi. 23
Prudentia Petri in ſuâ Judaiſmi ſimulatione, *ibid.*

Quomodo munus impleverit, & univerſalis Eccleſiæ Paſtoris, & Apoſtoli Circumciſionis, Gentilium curâ Paulo relictâ. 24
Paulus Petrum reprehendens in culpâ non fuit, à multis tamen reprehenſus. 25
Variæ in Paulum calumniæ. *ibid.*
Difflantur omnes. *ibid.*
Calumnia invidiæ quàm temerè inuſta Paulo. 26
Calumnia ambitus Paulo facta quàm ſit erubeſcenda hæreticis calumniatoribus. 27
Quorsùm ſe ipſe Paulus commendaret, & Apoſtolatum ſuum. 29
Non eſt iſte ambitus Pauli, ſed aliquorum de ſucceſſoribus Pauli. *ibid.*
Calumnia ſuperbæ cujuſdam audaciæ in Paulo Petri reprehenſore, quàm vana ſit. 30
Nam ſine ſuperbiâ potuit Paulus reprehendere Petrum. 30
1°. Ex mandato Dei extraordinario. *ibid.*
2°. Ex conſenſu ipſius Petri. *ibid.*
3°. Ex communi lege charitatis, citra mandadatum Dei extraordinarium, aut Petri conſenſum. *ibid,*
Quod charitatis officium Paulus Petro præſtitit, præſtitere deinceps Petri ſucceſſoribus ipſorum ſubditi, idque ſine notâ ſuperbiæ. 31
Reprehenſio tamen majoris à minore invidioſum officium eſt, & periculi plenum. 32
In quo tria obſervanda ſunt. *ibid.*
Neceſſitas. *ibid.*
Utilitas. *ibid.*
Et modus. *ibid.*
Contra quem modum non peccavit Paulus pri-

vatâ reprehenſione non contentus. 32
Quia publicam videbat eſſe neceſſariam. 33
Tum in bonum Gentilium. *ibid.*
Tum in bonum ipſorum Judæorum. *ibid.*
Artificioſa charitas Pauli in ſuâ reprehenſione. 34
Nulla igitur fuit culpa Pauli reprehendentis; ſed indè videtur ſequi fuiſſe aliquam culpam Petri reprehenſi, contra ac ſupra ſtatutum fuit. 34
Tertia diſſertationis pars in quâ hæc duo conciliantur, & nullam eſſe Petri reprehenſi culpam, & juſtam Pauli reprehenſionem. 35
Nam 1°. Seclusâ culpâ morali, ſeu malâ voluntate Petri operantis, poteſt concipi fuiſſe in Petro aliquid dignum reprehenſione, actio nimirùm aliqua materialiter mala, quæ tamen in Petro reipsâ non fuit. *ibid.*
2°. Sine ullâ Petri culpâ ſeu formali, ſeu materiali poteſt intelligi quomodo Paulus Petrum rectè reprehenderit. 36
Nam quamvis nec Petri intentio, nec actio ipſa mala eſſet ſecundùm ſe & ex circumſtantiis, eventum tamen ſiniſtrum habebat, errorem ſcilicet Gentilium in materiâ fidei, & magnam in omnibus propenſionem ad judaizandum. *ibid.*
Quod utrumque reprehenſibile erat, & actionem Petri denominabat reprehenſibilem, *ibid.*
Fit tota res ſenſibilis duplici ſimilitudine. 37
Et Navarchi. *ibid.*
Et Imperatoris. *ibid.*
Siniſter illi eventus ex Petri actione ſequens potuit non præviderì à Petro abſque ullâ igno-

rantiæ culpâ. 38
Potuit item prævideri à Petro abſque ullâ culpâ negligentiæ. 38
Sed ſive illum prævideri Petrus, ſive non prævideri, fuit reprehenſibilis Paulo. *ibid.*
Quia in ſtaterâ Pauli error Gentilium præponderabat offenſioni judæorum, ut in ſtaterâ Petri offenſio judæorum præponderabat errori Gentilium. *ibid.*
Paulus verò credendus eſt in ſuo judicio veritatem attigiſſe. 39
Seu quia Petrus dicitur non rectè ambulaſſe. *ibid.*
Seu quia dicitur reprehenſibilis. *ibid.*
Seu quia monitus à Paulo ſtatim acquievit. *ibid.*
Quarta pars. Apoſtoli in ſuâ diſcordiâ concordes, 40
Nam 1°. Una fuit amborum fides. *ibid.*
2°. Una amborum voluntas. 40
3°. Una amborum converſatio. *ibid.*
4°. Una in ambobus cauſa moriendi, unumque Martyrium. *ibid.*

---

## DE ZOZIMO PONTIFICE
### In causâ Pelagii & Cæleſtii.

### *DISSERTATIO THEOLOGICA.*

QUis fuerit Pelagius. 41
Error Pelagii. *ibid*
Er oris fontem aperuit Cæleſtius Pelagii diſcipulus negando peccatum Originale. 42
Utrique ſeu Pelagio ſeu Cæleſtio mille fuerunt

artes tegendi erroris ſui. *ibid.*
Multiplex de utroque judicium. *ibid.*
Cæleſtius damnatur Carthagine. 42
Pelagius Dioſpoli malè abſolutus. 43
Damnantur ambo in Conciliis Carthaginenſi & Milevitano. *ibid.*
Utrumque nominatim damnavit Innocentius & excommunicavit in reſcripto ad Patres Milevitanos. *ibid.*
Appellarunt inquieti homines à Pontifice ad Pontificem. *ibid.*
Pelagius fidei ſuæ profeſſionem miſit ad Innocentium. 44
Cæleſtius Libellum obtulit Zozimo Innocentii ſucceſſori. *ibid.*
Libellum hunc Zozimus pronunciavit eſſe Catholicum, & Litteras Pelagii laudavit. 44
Utriuſque cauſam quaſi malè judicatam retractari volens. *ibid.*
Sed fraude demùm intellectâ utrumque damnavit. *ibid.*
Materia controverſiæ præſentis. 44
Defenditur Zozimus. 45
1°. A notâ Hæreſis. *ibid.*
2°. A culpâ imprudentiæ. *ibid.*
3°. A crimine prævaricationis. *ibid.*
Prima pars defenſionis. 45
Libellus Cæleſtii Zozimo oblatus apertè Hæreticus eſt. *ibid.*
Apertè enim negat peccatum Originale. *ibid.*
Ut patet ex illius fragmento quod refert Auguſtinus. 46
Hunc tamen libellum Zozimus approbavit. *ibid.*

Ex quâ approbatione periculum eſt ne animos capiant Hæretici ad elevandam damnationem ſuam per Pontifices factam. 46
Cur factum Zozimi ferè præterierint Hæretici noſtri. ibid.
Hujus ſilentii cauſa. ibid.
Timor aliquis conſequentiæ non ſatis favorabilis. ibid.
Difficile argumentum contra Zozimum. 47
Prima ſolvendi via, negando libellum Cæleſtii approbatum fuiſſe à Zozimo, non placet. 47
Quia & parùm liberalis eſt. ibid.
Et injurioſa Auguſtino. ibid.
Et planè incredibilis. 48
Secunda via nodi ſolvendi, quâ diſtinguitur in Pontifice perſona privata & publica, valere non poteſt pro Zozimo. 48
Qui Libellum Cæleſtii etiam ut Pontifex approbavit. ibid.
Tertia via ſolutionis, per quam juxtà Toſtatum duplex genus approbationis diſtinguitur. 49
Una ſpecialis, quæ cadit in ſingulas libri propoſitiones. ibid.
Altera Generalis, quæ non in ſingulas libri partes, ſed in totum cadit. ibid.
Neceſſaria quidem eſt, ſed minimè ſufficiens. 49
Quia ad veritatem approbationis Generalis requiritur, ut in libro approbato nihil ſit rectæ fidei, aut bonis moribus apertè contrarium. 50
In Libello autem Cæleſtii eſt aliquid apertè contrarium rectæ fidei. ibid.

Quarta ſolutionis via ex falſo quodam principio Facundi Hermianenſis, malè ſupponit Librum ab Eccleſiâ poſſe approbari, eo ipſo quod multa habeat bona. 50
Nam ſi ita eſſet, poſſent omnes Hæreticorum libri approbari. 51
Quinta via eſt Auguſtini duo reſpondentis pro Zozimo. 51
Primum. Nuſquam definiiſſe Zozimum ne peccatum Originale crederetur. *ibid.*
Alterum. Fuiſſe approbatam à Zozimo non falſitatem dogmatis; ſed voluntatem emendationis. 52
Sed in hâc reſponſione non videtur plenè acquieſcendum. *ibid.*
Quia voluntas emendationis, quam quis præ ſe fert, non ſufficit ut liber manifeſtè Hæreticus pronuncietur eſſe Catholicus. *ibid.*
Sexta via eſt confeſſio alicujus erroris in Zozimo; ſed erroris dumtaxat in quæſtione facti, quò in genere, ipſa etiam Eccleſia errare poteſt. 53
Deſperantis eſt iſta reſponſio, & multa confundentis. *ibid.*
Nam Eccleſia quamvis in quibuſdam facti quæſtionibus errare poſſit, non tamen in quæſtionibus facti dogmatici. *ibid.*
Cujuſmodi eſt factum Cæleſtianum. 54
Ad veram difficultatis ſolutionem nonnulla poſtulantur. 54
Primum. Libellum Cæleſtii à Zozimo fuiſſe approbatum approbatione dumtaxat generali. *ibid.*
Secundum. Approbationem generalem non

poſtulare ut in Libro approbato nihil ſit falſi, *ibid.*
Tertium. Non omne quod falſum eſt, eſſe continuò Hæreticum. *ibid.*
Quartum. Fieri poſſe ut dogma falſum aliquo ſenſu dicatur Catholicum. 54
Nam, aliud eſt Catholicum Imperatum. 55
Aliud, Catholicum liberum & arbitrarium. *ibid.*
Aliud Catholicum toleratum, quod Catholici dogmatis genus cum falſitate conjungi poteſt, *ibid.*
Quo tempore Cæleſtii libellus à Zozimo fuit approbatus, nullum habuit dogma plenè Hæreticum, nullum non aliquo ſenſu Catholicum. 55
Nam dogma Cæleſtianum de traduce peccati non erat eo tempore ſatis notoriè reprobatum. *ibid.*
Controvertebatur ſcripturæ ſenſus. *ibid.*
De traditione ambigebatur. 56
Nulla definitio ſatis expreſſa Eccleſiæ præceſſerat. 56
In Conciliis quidem Dioſpolitano, Carthaginenſi, Milevitano damnatum fuerat, ſed ea Concilia particularia erant. *ibid.*
Litteræ Innocentii traducem peccati non ſatis expreſſè definierant. *ibid.*
Nec plenè reprobatum eſt dogma Cæleſtii niſi poſt Zozimi reſcriptum, cui Eccleſiæ conſenſus acceſſit. *ibid.*
Secunda pars defenſionis. 56
Vindicatur Zozimus à notâ imprudentiæ, 57
Triplex accuſationis caput. *ibid.*

Primum. Quòd Zozimus Pelagium & Cæleſtium pro viris bonis habuerit. *ibid.*
Qui Zozimi error ſatis conſtat ex ipſius litteris. *ibid.*
Neque audiendus eſt Cappellus negans eas litteras eſſe Zozimi. *ibid.*
Sed hic error Zozimi, fuit error puri facti. 58
Nec imprudens. 58
Nam Zozimum in ſuo illo errore ab imprudentiâ vendicant. *ibid.*
1°. Præſidentia Cæleſtii Romam venientis. 58
2°. Conditio accuſatorum abſentium, & diffamatorum. *ibid.*
3°. Commendatio Praylii Hieroſolymitani. *ibid.*
4°. Amborum Hypocritarum humilis quam profitebantur obedientia Apoſtolicæ ſedi. 59
Ex quibus omnibus fiebat Zozimo ea ſpecies veri quæ plerumque non fallit. *ibid.*
Alterum imprudentiæ caput. Quòd Epiſcopos Africanos nimiæ credulitatis reprehenderit, 59
Sed Pontificem excuſat. 60
1°. Præſumptio innocentiæ Pelagio & Cæleſtio favens. *ibid.*
2°. Mala accuſatorum fama, & gravis præſumptio calumniæ. *ibid.*
3°. Præſumptio præfeſtinationis ex fervore fidei in Epiſcopis Africanis. 60
Tertium caput imprudentiæ. Quòd retractari voluerit Pelagii & Cæleſtii cauſam ab Innocentio præjudicatam. *ibid.*
Sed ea retractatio ſapienter videri potuit neceſſaria, in gravi præſumptione calumniæ factæ innocentibus. *ibid.*

Nec quidquam detrahebat memoriæ Innocentii; 61
Tum propter mutationem circumſtantiarum; *ibid.*
Tum propter cautionem duplicem quæ adhibenda erat: ut ſcilicet Cæleſtius pro excommunicato haberetur, nec antè abſolveretur quàm promitteret ſe litteris Innocentii conſenſurum. 61
Nec ſedis Apoſtolicæ autoritatem elevabat. 62
Quia ſententiam Innocentii retractari voluit Zozimus quâ ſolum parte perſonas reſpicit; *ibid.*
Aut ſi retractari voluit, etiam eâ parte quâ dogmata reſpicit, credens eam retractationem ſententiæ fore utilem fidei. *ibid.*
Potuit ex diſpenſatione juris, & quodam veluti condeſcenſu. *ibid.*
Nec timeri potuit periculoſum exemplum venturis Hæreticis. 63
Nam ſi ſincerè agent, facto Zozimi allicientur ad correctionem. *ibid.*
Si doloſè, paucorum erit audacia Cæleſtiana; eoſque terrere poterit malus audaciæ exitus; & conſtantia Zozimi Pelagium & Cæleſtium poſt fraudem cognitam repetitâ authoritate damnantis. *ibld.*
Tertia pars defenſionis. Vindicatur Zozimus à crimine prævaricationis. 63
Nam neque prævaricator dici poteſt, quòd partem Pelagii deſeruerit, neque quòd Pelagium & Cæleſtium damnaverit. 64
Futurus prævaricator ſi non damnaſſet. *ibid.*
Fructus & finis diſſertationis. *ibid.*

# DEFENSIO ECCLESIÆ in negotio Trium Capitulorum.

## *DISSERTATIO THEOLOGICA.*

NEgotium trium Capitulorum, & quæſtionis obſcuritate tenebroſum, & ſcandali celebritate ſplendidum. 66
Quo multipliciter abutuntur novatores. 66
Periculum conſequentiæ. *ibid.*
Controverſiæ gravitas & difficultas. 67
Præmittitur brevis ſumma hiſtoriæ Trium Capitulorum. *ibid.*
Undè naſcitur triplex accuſatio adverſus Eccleſiam in triplici ſtatu conſideratam. 69
Cui triplex defenſio reſpondebit. 70
Prima, Eccleſiæ per orbem diffuſæ. *ibid.*
Secunda, Eccleſiæ in Concilio congregatæ. *ibid.*
Tertia, Eccleſiæ in capite ſeu Pontifice adunatæ. *ibid.*
Prima pars. 70
Proponitur argumentùm hæreticorum contra infallibilitatem Eccleſiæ per orbem diffuſæ ex defenſione Trium Capitulorum, quam ſuſcepit Occidentalis Eccleſia. *ibid.*
Reſpondetur primò. Eſto erraverit Eccleſia Occidentalis quæ pars eſt Eccleſiæ, dummodò Eccleſia tota non erraverit. 71
Sed ea reſponſio vana eſt, quia Eccleſia Occidentalis major Eccleſiæ pars, in quâ eſt ſedes Petri, Eccleſia eſt ſubſtantialiter tota, eique promiſſa eſt infallibilitas. *ibid.*

Nec vana tantùm, ſed periculoſa eſt iſta exceptio, quæ januam aperit defenſioni omnium errorum. *ibid.*

Reſpondetur ſecundò in negotio trium Capitulorum quæſtionem fuiſſe non de fide, ſed de perſonis tantùm, in quâ quæſtione errare potuit Eccleſia, nec adeò curandum eſt, an erraverit. 72

Non placet ea reſponſio, quia non ſatis honori Eccleſiæ conſulit, permittens erraſſe Eccleſiam, quandò ab errore defendi poteſt. *ibid.*

Et falsò ſupponit verſari nos in eo genere quæſtionum in quibus Eccleſia errare poſſit. 73

Hic enim duplex quæſtio eſt. Una facti criminalis. Altera facti dogmatici. *ibid.*

In quâ quæſtione Eccleſia abſolutè errare non poteſt. 74

Quo ſenſu ſcripſerit Gregorius de perſonis tantummodò, non de fide aliquid geſtum fuiſſe. *ibid.*

Et quo fine hoc ipſum inculcarit magnus Pontifex. *ibid.*

Reſpondetur tertiò ex ipſo negotio trium Capitulorum apparere ſenſum unanimem fidelium de infallibilitate Eccleſiæ in quæſtione facti dogmatici. 75

Et in eo erraſſe Eccleſiam Occidentalem errore meri facti, quatenùs credidit Tria Capitula fuiſſe approbata Chalcedone, quæ approbata non erant. *ibid.*

Sed iſta reſponſio, nec ſatis cohærens eſt, & Eccleſiæ novum errorem imponit priore pericu- loſiorem. 76

Nam error iſte novus meri facti non eſt, ſed

facti eſſentialiter cum fide connexi. *ibid.*
Neque credibile eſt ignorari tamdiu potuiſſe ab Eccleſiâ Occidentali verum proceſſum Concilii Chalcedonenſis circa Tria Capitula. *ibid.*
Reſpondetur quartò diſtinguendo duplex Eccleſiæ judicium. Unum infirmum & proviſorium, alterum firmum, & definitivum. 77
Et in judicio quidem definitivo, errare Eccleſiam non poſſe, poſſe tamen in judicio proviſorio. *ibid.*
Itaque erraſſe in causâ Trium Capitulorum, quæ non definitivè, ſed proviſoriè dumtaxat defendit. *ibid.*
Placebat olim ea reſponſio, hodiè non placet. 78
Tum quia non ſatis honeſta eſt erga Eccleſiam. *ibid.*
Tum quia certum videtur Eccleſiam Occidentalem non proviſoriè tantùm, ſed definitivè Tria Capitula defendiſſe. *ibid.*
Quare autor à ſeipſo invene & minùs conſulto ad ſeipſum jam maturiorem & meliùs conſultum provocans, reſpondet diſtinguendo duplicem acceptionem Trium Capitulorum, Materialem & formalem. *ibid.*
Quid ſit defendere Tria Capitula Materialiter & abſolutè ſumpta. *ibid.*
Quid defendere Tria Capitula ſumpta formaliter & reſpectivè ad proceſſum Concilii Chalcedonenſis. *ibid.*
Eccleſia Occidentalis defendit Tria Capitula ſumpta formaliter, & reſpectivè ad proceſſum Concilii Chalcedonenſis, quo modo ſumpta defendenda erant. *ibid.*
Eccleſia verò Orientalis Tria Capitula damna-

vit ſumpta Materialiter & abſolutè, quo modo erant damnanda. *ibid.*
Demonſtratur ea ratio concordiæ inter utramque Eccleſiam. 80
1°. Ex ipsâ occaſione totius controverſiæ. *ibid.*
2°. Ex fine ſuſceptæ defenſionis Trium Capitulorum. *ibid.*
3°. Ex reſiſtentiâ Occidentalium ne novum Concilium cogeretur. *ibid.*
Fuit tamen diſcordia aliqua Occidentalem inter & Orientalem Eccleſiam. 80
In eo poſita quòd Eccleſia Occidentalis defenderit Tria Capitula etiam materialiter ſumpta, negativâ aliquâ defenſione, quatenùs ea damnari nolebat, quæ volebat damnari Eccleſia Orientalis. 81
Ita autem ea damnari nolebat Eccleſia Occidentalis, ut ea materialiter ſumpta, poſitivè non defenderet. *ibid.*
Eſto Occidentales aliqui Tria Capitula materialiter ſumpta poſitivè defenderint. *ibid.*
Privatorum ille ſenſus fuit, non totius Eccleſiæ. 82
Secunda pars. Proponitur argumentum hæreticorum contra infallibilitatem Eccleſiæ in Concilio congregatæ. 82
Tria quidem Capitula fuere expreſsè & diſtinctè damnata in Concilio Conſtantinopolitano, quod eſt Generale quintum. 83
Eademque videntur aliquo modo fuiſſe approbata in Concilio Chalcedonenſi, ut innuunt Concilii acta. *ibid.*
Difficultas tamen magna non eſt in primo Capitulo, circa Theodori Mopſueſteni perſonam. 84

Neque item difficilis eſt utriuſque Concilii Concordia in ſecundo Capitulo, de perſonâ & ſcriptis Theodoreti. 85
Tota difficultas reducitur ad Tertium Capitulum, ſeu ad Epiſtolam Ibæ. *ibid.*
De Concordiâ parùm curantes Schiſmatici infallibilitatem negabant Concilio Conſtantinopolitano tamquam illegitimo. 86
Sed negari hodiè non poteſt poſt confirmationem Pontificis, & univerſæ Eccleſiæ conſenſum. *ibid.*
Quare totus labor eſſe debet in Concilio Chalcedonenſi vindicando. *ibid.*
Vindicabat Pelagius ſecundus diſtinguens priora Concilii à poſterioribus. 86
Nam Concilium contineri volebat ſex actionibus, ac proindè Epiſtolam Ibæ quæ fuit approbata actione nonâ aut decimâ, non fuiſſe Conciliariter approbatam. 87
A diſtinctione Pelagii duo ſunt quæ abſterrent. Primum, quia non videtur Concilium fuiſſe finitum in ſextâ actione. *ibid.*
Alterum, quia non videtur ea diſtinctio fuiſſe nota Patribus Concilii quinti. *ibid.*
Stet ergo ſua integritas Concilio Chalcedonenſi, excepto Canone 28 de ſedium prærogativâ. 88
Lupus Yprenſis aliam viam concordiæ ſuggerit ſatis paradoxam: vult enim neutram erraſſe Synodum, quamvis una Epiſtolam Ibæ approbarit, damnarit altera. 88
Quia una approbavit in ſenſu Catholico, altera damnavit in ſenſu hæretico. *ibid.*
Illuſtratur tota iſta res. 89

Poteſt quidem una propoſitio ambigua duplicem ſenſum habens approbari ab Eccleſiâ in uno ſenſu, ac deindè damnari in alio. *ibid.*
Id quod patet multis exemplis. *ibid.*
Et talis fuiſſe videtur Epiſtola Ibæ, Neſtorianum ſenſum habens, & ſimul Catholicum. 90
Potuit ergo in ſenſu Catholico approbari Chalcedone, eademque in ſenſu Neſtoriano damnari Conſtantinopoli. *ibid.*
Ex quâ ratione concordiæ fit fortè ſpes aliqua Janſeniſtis futurum ſimiliter, ut quas hodiè Janſenii propoſitiones Eccleſia damnat, aliquandò approbet. 91
Sed vana illa ſpes eſt, quia damnat Eccleſia propoſitiones Janſenii determinatas ad ipſum Janſenii ſenſum. *ibid.*
Subtilis hæc ratio concordiæ non placet. *ibid.*
Quia Patres Conſtantinopolitani ſenſum à ſenſu non diſtinxerunt. 92
Dicendum ergò eſt Epiſtolam Ibæ nullo ſenſu fuiſſe approbatam Chalcedone. *ibid.*
Ita omninò ſuadet authoritas, tum Synodi quintæ Epiſtolam damnantis, tum Vigilii Synodum confirmantis. *ibid.*
Quomodo reſponſio noſtra cum actis Concilii Chalcedonenſis cohæreat. 92
Ibas quidem pronunciatus eſt Orthodoxus, ſed Epiſtola ejus nuſquam pronunciata eſt Orthodoxa. 93
Neque quòd relectâ Epiſtolâ dicatur fuiſſe judicatus Orthodoxus, indè trahi poteſt Epiſtolam judicatam fuiſſe Orthodoxam. *ibid.*
Quàm peccet multipliciter ea conſequentia. *ibid.*

Cur eam Epiſtolam Synodus Chalcedonenſis non damnaverit expreſsè. 94
Cur tamdiu hæſitavit Vigilius in damnatione Epiſtolæ. 95
Tertia pars. Defenſio Eccleſiæ in Capite adunatæ. *ibid.*
Qualis fuerit Vigilius antè Pontificatum. 95
Qualis in Pontificatu. *ibid.*
In negotio trium Capitulorum graviter & multipliciter accuſatur. 96
Defenſus ab illuſtriſſimo Domino de Marca in Hiſtoriâ trium Capitulorum. *ibid.*
Cur à nobis defendatur. *ibid.*
Accuſatur Vigilius 1°. Quòd tria Capitula defenderit. *ibid.*
Rei geſtæ ſeries ex Liberato Diacono Carthaginenſi. 97
Damnat Juſtinianus Imperator tria Capitula edicto ſuo. *ibid.*
Edicto Imperatoris ſubſcribunt Epiſcopi Orientales. *ibid.*
Tria Capitula defendit Vigilius. Quàm rectè & laudabiliter defenderit. *ibid.*
Juſtiniani edictum reprobavit. Quàm meritò reprobarit. 98
Epiſcopos Orientales à Communione ſuſpendit. Quàm legitimè ſuſpenderit. *ibid.*
Accuſatur Vigilius 2°. Quòd tria Capitula damnarit, quæ antè defenderat. *ibid.*
Vigilii adventus Conſtantinopolim. 99
Negotium trium Capitulorum coram introſpicit. *ibid.*
Tria Capitula damnat proviſoriè judicato ſeu conſtituto ſuo. *ibid.*

Judicatum ſeu conſtitutum Vigilii, non levitatis aut mundani timoris, ſed exquiſitiſſimæ Prudentiæ opus fuit. *ibid.*
Accuſatur Vigilius 3°. Quòd ſuum ipſe judicatum retractarit. 100
Cauſa retractandi & modus. *ibid.*
Conventio de æquando numero Occidentalium & Orientalium. *ibid.*
Tarditas Occidentalium. 101
Impatientia Juſtiniani. *ibid.*
Conſtantia Vigilii. *ibid.*
Præcipitatio Concilii. *ibid.*
Judicatum Vigilius quo ſenſu retractaverit, revocavit nimirùm priorem indictionem Concilii, & quidem meritò. 102
Damnationem verò trium Capitulorum à ſe proviſoriè factam pro nullâ & irritâ haberi voluit; idque ſine mutatione ſententiæ circa tria Capitula. *ibid.*
Accuſatur Vigilius 4°. Quòd Concilium Orientalium reprobarit. *ibid.*
Sed meritò reprobavit, erat enim omni ex parte illegitimum. 103
Seu defectu legitimæ indictionis, celebrari enim non potuit Concilium, neque vi indictionis antiquæ, neque vi indictionis novæ. 103
Seu defectu Legitimæ præſidentiæ. *ibid.*
Seu defectu Legitimi Epiſcoporum conventus, non enim interfuerunt Occidentales, qui intereſſe debebant. 103
Seu defectu legitimi proceſſus, neque enim fuit libertas ſuffragiorum. *ibid.*
Accuſatur deniquè Vigilius, quòd Concilium antea reprobatum deindè approbarit. 104

Sed Concilium Orientalium non approbavit ut Legitimum, in quo multi hallucinantur. *ibid.*
Damnavit ipſe dumtaxat tria Capitula Apoſtolicâ authoritate, nullam Concilii mentionem faciens. 104
Vigilii tamen Epiſtola haberi poteſt pro morali confirmatione Concilii. *ibid.*
Cur totum negotium Vigilius ita finierit, affertur cauſa duplex. 104
Prima. Ne Orientales omninò alienaret. *ibid.*
Altera. Ut perſuaderet Occidentalibus potuiſſe citra injuriam Concilii Chalcedonenſis, tria Capitula damnari. *ibid.*
Diſſertationis fructus quis eſſe debeat. 105
Ex totius negotii conſideratione diſcant Principes non fidere Hæreticis, qui tùm maximè alieni ſunt ab Eccleſiâ, cùm reditum ad Eccleſiam mentiuntur. *ibid.*
Diſcant ſapere inquieti novatores exemplo Theodori Cappadocis. 105
Diſcant fideles non adeò turbari Eccleſiæ tempeſtatibus. *ibid.*
Diſcant Theologi Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſociare Theologiæ. 106
Sibi gratulentur Catholici omnes de pace Eccleſiæ redditâ, & finitâ trium Capitulorum controverſiâ. *ibid.*

# DE HONORIO PONTIFICE In cauſa Monothelitarum.

## DISSERTATIO THEOLOGICA.

DEbet Theologus magnos viros vindicare à calumniâ Hæreſis. 107
Tum ipſorum cauſâ, quorum, memoriæ præſtatur pium quoddam juſtumque defenſionis officium. *ibid.*
Tum etiam causâ fidei, dum ab Hæreticis repetitur magnorum virorum authoritas. 108
Magnorum virorum lapſus periculoſa vulgi tentatio eſt. *ibid.*
Mali de Honorio rumores ſparſi ſunt, ut de Monothelitâ. *ibid.*
Rumorum fuere cauſæ quatuor. *ibid.*
Prima. Fraus & impudentia Monothelitarum qui Honorium ſuum eſſe mentiebantur. *ibid.*
Favebat vulgando mendacio diſſimulatio Honorii. 109
Hæreticis ſolemne eſt primò. Magnorum virorum Patrocinium & umbram quærere, ac ſi non habent, mentiri. *ibid.*
Secundò, numerare inter ſuos, quos non habent apertos adverſarios. *ibid.*
Tertiò, diſſimulare odia & inimicitias cum magnis viris, donec palam eruperint. *ibid.*
Altera calumniæ cauſa eſt Græcorum Epiſcoporum invidia ſparſos rumores de Honorio avidè accipientium. 109
Quid maximè doleret Orientalibus. *ibid.*
Tertia. Sequentium Hæreticorum rabies quæ-

dam, & furor in ſedem Apoſtolicam. 110
Quarta. Ipſorum etiam Catholicorum prævaricatio, & ſtupor, craſſaque ignorantia. 111
Breviculum Hiſtoriæ Monotheliſmi. *ibid.*
Monotheliſmi caput fuit Theodorus Epiſcopus Pharan. 112
Fautores fuere Sergius Conſtantinopolitanus, & Cyrus Alexandrinus. *ibid.*
Sergio vehementer obſtitit Sophronius de Monacho factus Patriarcha Hieroſolymitanus. *ibid.*
A Sophronio prodiit Synodica Epiſtola recitata in undecimâ actione ſextæ Synodi. 112
Conſenſit Sophronius pro temporum iniquitate, ut ab unius ſimul & geminæ operationis vocabulo abſtineretur. *ibid.*
Scripſit Sergius ad Honorium ingens bonum ex eâ conventione ſperari. *ibid.*
Reſcripſit Sergio Honorius, approbavitque quod ab eo proponebatur, ſilentium ſperans fore fibulam pacis. 113
Damnatio Honorii in ſextâ Synodo. *ibid.*
Argumentatio pro Honorio qui non probatur Monothelita, ex ſparſis de illo rumoribus. *ibid.*
Non ex datis ad Sergium Litteris, per illas enim apertè reclamat Honorius. 114
Confeſſio Honorii Catholiciſſima eſt. *ibid.*
Non ex judicio ſextæ Synodi Honorium damnantis tamquam Sergio conſentientem, & ipſas Honorii litteras igni adjudicantis. *ibid.*
Sunt qui velint corrupta fuiſſe hujus Concilii acta. 115
Sunt qui Honorium verè damnatum velint, ſed nullâ ſervatâ formâ judicii. *ibid.*
Sed benè ſtat Synodi authoritas cum innocen-

tiâ Honorii. 115

Explicatur modus ille concordiæ. *ibid.*

Litteræ Honorii ſpectari poſſunt dupliciter vel ut regulæ quædam & definitiones fidei; vel ut mera præcepta & ſimplices prohibitiones. *ibid.*

Duplicem habent Pontifices poteſtatem, unam directivam fidei & doctrinæ, alteram præceptivam & directivam morum. *ibid.*

Cùm interdixit Honorius vocabulo geminæ operationis non eſt uſus poteſtate directivâ fidei; eiuſque ad Sergium litteræ, quatenùs uſurpari prohibent geminam operationem, mera fuere præcepta, non definitiones fidei. 116

1°. Quia negat Honorius velle ſe quidquam definire. *ibid.*

2°. Quia Sergius non definiri quæſtionem, ſed imperari ſilentium rogabat. *ibid.*

3°. Quia alioqui definiiſſet Honorius, nec unam eſſe, nec duas operationes, quod repugnat. *ibid.*

Quo tempore datæ ſunt ad Sergium Honorii litteræ nihil fidei nocebant ſaltem directè, quia tum cauſa pendebat. 116

Sed nocebant eædem indirectè, etiam quo tempore datæ ſunt, quia Hæreticis animos & ſpatium dabant. 117

Tempore verò ſextæ Synodi fidei nocebant etiam directè, quia finita erat controverſia. *ibid.*

Potuerunt ergo damnari à ſextâ Synodo, quamvis Honorius non damnaretur ut Monothelita. *ibid.*

Potuit & damnari Honorius, non ut Hæreticus,

ſed ut fautor Hæreticorum. *ibid.*
Totum cauſæ judicium præſentibus illuſtriſſimis Epiſcopis relinquitur. 118

# DE LUCA EVANGELISTA
## Pro inſtauratione ſtudiorum.

## CONCIO ACADEMICA,
*In qua multa explicantur ad Lucæ Evangelium pertinentia.*

UT mundi primordia conſecravit Deus effectione & commendatione Lucis. 120
Ita annum litterarium auſpicatur Academia à Lucâ ſeu Lucio Evangeliſtâ, cui lux ipſa nomen fecit. *ibid.*
Idque ſapientiſſimo conſilio in æde ſancti Dominici, & coram reliquiis ſancti Thomæ. 121
Elogium Lucæ de Pauli ſenſu depromptum. *ibid.*
Inſignis Lucæ character his Pauli verbis continetur, *cujus laus eſt in Evangelio.* *ibid.*
Triplex homini ab Evangelio venire laus poteſt, 122
Prima eſt, ab Evangelio vitâ & moribus expreſſo. *ibid.*
Altera. Ab Evangelio prædicato. *ibid.*
Tertia. Ab Evangelio ſcripto. *ibid.*
Non omnis qui Evangelium vivit, Evangelium prædicat. Non omnis vivit, qui prædicat. Non quicumque Evangelium vivit aut prædicat, Evangelium ſcribit, nec continuò vivit aut prædicat, quicumque ſcribit. 122
Lucas Evangelium pleniſſimè vivit. *ibid.*
Evangelium

Evangelium pleniſſimè prædicavit. *ibid.*
Evangelium pleniſſimè ſcripſit. *ibid.*
Prima pars. 123
Evangelium plenè vivere idem eſt, quod novum hominem ſeu Chriſtum induere. 123
Idem, quod Chriſto vivere, ſeu Chriſti vitam perfectâ imitatione exprimere. *ibid.*
Quibus officiis tota iſta res contineatur. *ibid.*
1°. Evangelium profiteri oportet ſine rubore. 123
Paucorum eſt terribilis Tertulliani imprecatio. *ibid.*
2°. Vivere ſine ſimulatione. 124
3°. Totum amplecti ſine exceptione. *ibid.*
4°. In finem uſquè perducere ſine intermiſſione. *ibid.*
Paucorum eſt ea laus, ſed de numero paucorum eſt Lucas Evangeliſta. 124
Probandi difficultas ex Lucæ ſilentio de ſe, aut aliorum de ipſo. *ibid.*
Sed ipſum ſilentium loquax & clamoſum eſt. 125
Seu ſilentium Lucæ de ſe ipſo. *ibid.*
Seu ſilentium aliorum de Lucâ. *ibid.*
Triplex affertur conjectura, undè intelligi poteſt quàm plenè Lucas Evangelium vixerit. 125
Prima conjectura ex eo ducitur; quòd fuit Lucas inſignis Chriſti Diſcipulus. 126
Lucas nec de Apoſtolis fuit, nec de illis ſeptuaginta duobus à Domino deſignatis. *ibid.*
Nihilominùs inſigne aliquid & præcipuum habet in diſciplinâ Chriſti. *ibid.*
Seu locus, ſeu tempus, ſeu modus electionis

ſpectetur. 126
Lucas Antiochenus fuit. *ibid.*
Lucas Diſcipulus fuit abortivus, quo ſenſu. 127
Subrogatus fuiſſe creditur in locum Diſcipuli cujuſpiam deſertoris. *ibid.*
Datus fuit Paulo in ſocietatem, ut Coapoſtoli Barnabæ partes impleret. *ibid.*
Diſcipulum verò Chriſti non tam facit ſpeculatio, quàm plena & perfecta imitatio. 127
Altera conjectura eſt, quòd Lucas fuit Mariæ cliens addictiſſimus, 128
Duos præſertim Diſcipulos Maria dilexit Joannem & Lucam, utrumque Evangeliſtam, utrumque virginem. *ibid.*
Sed Lucam, ut videtur, teneriùs dilexit, quàm Joannem, cujus rei triplex affertur ratio. *ibid.*
Fuit Lucas Mariæ à ſecretis. Aperuit enim Virgo dilecto Evangeliſtæ tabulas Matrimoniales. *ibid.*
Nec minùs Mariam diligebat, quàm diligeretur *ibid.*
Mariæ circumferebat imaginem, tum ut Mariæ abſentiam pictura ſolaretur, tum ut Gentilibus, qui Mariam non viderant, Mariam utcumque oſtentaret. 129
Iſte autem Mariæ amor perfectam cum Chriſto ſimilitudinem aut invenit, aut facit. *ibid.*
Mariæ tota cauſa amandi eſt ſimilitudo cum Chriſto. 130
Tertia conjectura eſt quòd fuerit Lucas ordinatus comes peregrinationis Pauli. 130
Ubi attenditur, & à quo, & cujus comes, & quorsùm fuerit ordinatus. *ibid.*

Ordinatus eſt Pauli Comes ab omnibus Eccleſiis. *ibid.*
Poſtulabat iſtæc ſocietas communionem quamdam conſiliorum, & quamdam meriti æqualitatem. 130
Paulus quàm fuerit perſpicax hominum cognitor & ſeverus æſtimator. *ibid.*
Severum Pauli judicium de Joanne, qui cognominatur Marcus. *ibid.*
Lucam collectorem pecuniæ & diſpenſatorem cur Paulus eſſe voluerit. 131
Secunda pars. 132
Quo fundamento dicatur Lucas Evangelium pleniſſimè prædicaſſe, 132
Unum fundamentum eſt in Pauli teſtimonio & commendatione. *ibid.*
Alterum. In Pauli ejuſdem ſocietate & conſuetudine. *ibid.*
Quanti præſidii erat ad munus prædicationis ritè obeundum, habere perpetuò ob oculos Paulum prædicantem. 133
Paulus cùm Græcam Linguam parùm calleret, emendatore Sermonis Lucâ, & quaſi oratore utebatur. 133
Sed quanta Lucæ laus eſt Evangelium plenè prædicaſſe. *ibid.*
Patet ex iis quæ ad plenam Evangelii prædicationem pertinent; ſunt autem omninò quatuor. 133
1°. Materia prædicationis. *ibid.*
Quam Lucas tractaret. *ibid.*
Ex materiâ habet prædicatio ut plena ſit; ſi nihil falſum, nihil inane, nihil alienum, ſed purum ſolidumque Evangelium orator an-

nuncians, nihil ad ſalutem utile prætermittat. 133
2°. Forma prædicandi. 134
Quam adhiberet Lucas. *ibid.*
Ex formâ prædicandi habet prædicatio ut plena ſit, ſi omnem perſuaſionis modum Chriſtianus orator adhibeat. *ibid.*
Perſuadetur verbis idoneis, oſtenſione Spiritus, oſtenſione virtutis, bonorum officiorum illecebrâ. 134
Adhibuit Lucas idonea verba, Græcis enim litteris apprimè erat eruditus. *ibid.*
Adhibuit oſtenſionem Spiritûs, nam illi Spiritus divinus inſederat. *ibid.*
Adhibuit oſtenſionem virtutis, quæcumque diceret ſignorum virtute tamquam Dei ſigillo muniens. *ibid.*
Adhibuit officiorum vim, totum ſe liberaliter ægrotis impendens, ut curatione corporum, animis quoque mederetur. *ibid.*
Tertiò. Numerus & conditio Audientium. 135
Quibus prædicaret Lucas. *ibid.*
Ex numero & conditione audientium habet prædicatio ut plena ſit, ſi nullum à prædicatione orator excipiat, ſed ſe omnibus debitorem verbi agnoſcens, diſpenſet omnibus ſine ullâ acceptione perſonarum. 135
Quàm procul abſunt ab eâ amplitudine delicati & faſtidioſi nimis noſtrorum temporum Apoſtoli. *ibid.*
Quartò. Prædicationis fructus. 136
Quem habuerit Lucæ prædicatio. *ibid.*
Fructus iſte non vano audientium plauſu, ſed ſolidâ morum mutatione æſtimandus eſt. 136

Tertia pars. 136
Quatuor animalium facies Symbola quatuor Evangeliſtarum. *ibid.*
Cur Lucam ſignet facies bovis. *ibid.*
Proprius Lucæ character eſt plenitudo Evangelii. 137
Nam 1°. Plura quàm cæteri ſcribendo complexus eſt. *ibid.*
Scribendi Evangelii cauſa, Lucæ duplex fuit. *ibid.*
Prima ut Hæreticorum falſum Evangelium circumferentium mendacia refutaret. *ibid.*
Altera, ut quæ veri Evangeliſtæ prætermiſiſſent, ipſe ſuppleret. 137
Quantum eſt ad gloriam Chriſti præmonſtrandam exhiberi ſtupenda initia præcurſoris. *ibid.*
Quantum ad humilitatis Chriſtianæ perſuaſionem repræſentare humilem infantiam Salvatoris. *ibid.*
Quantum ad fidem Doctrinæ Evangelicæ conciliandam, Spiritum illum veritatis tanto miraculorum fragore deſcendere. *ibid.*
Quantum ad explicandam divinæ charitatis amplitudinem expandi mirabile illud linteum, omne animantium genus complectens. 139
Quantum ad habendam Conciliorum Generalium formam videre Apoſtolos Hieroſolymis coactos. *ibid.*
Hæc omnia & alia innumera Lucas complexus eſt. *ibid.*
2°. Plus Lucis attulit ad revelationem Myſteriorum. 140
Sive quia ordinatiùs rerum narrationem expoſuit: ſive quia ea latè explicuit, quæ cæteri

contraxerunt. *ibid.*
Multifariam multiſque modis locutus eſt Deus; in nube obſcurè, in rubo aſperè, in monte ſublimiter, in tonitru magnificè; ſed nuſquàm ſplendidiùs, quàm in Lucâ locutus eſt. 141
3°. Quæ ſcripſit ampliore quâdam authoritate ſignavit. *ibid.*
Cum cæteris quidem Evangeliſtis commune hoc habet, ut ſit author Canonicus. *ibid.*
Quâ laude duo jam obtinet. Primum, ut ſit extra omnis erroris aut mendacii ſuſpicionem. Alterum, ut nullus ſit ſenſus Lucæ verbis expreſſus, qui non idem divinus ſit, & à Spiritu Sancto intentus. 141
Duplex in authore Canonico ſpectari poteſt authoritas, Humana ſcilicet & Divina. 142
Humanæ quidem authoritatis plùs habuit Lucas quàm cæteri. *ibid.*
Quia fuit Evangeliſtarum Doctiſſimus, Sæcularibus litteris egregiè eruditus. *ibid.*
Sed divinæ authoritatis quomodo plùs habeat, cùm ſumma ſit authoritas ſingulorum, difficile eſt. 142
Habet tamen, quatenùs Evangelium Lucæ pluribus ſuffragiis conſtat eſſe divinum. *ibid.*
Triplici viâ haberi poteſt Librum aliquem divinum eſſe. *ibid.*
Prima eſt, via ſcripturæ, cùm unus ſcripturæ Liber alteri ſuffragatur. 142
Secunda, via Traditionis nunquàm interruptæ, & ab Apoſtolis ad noſtra tempora continuatæ. *ibid.*
Tertia, via Eccleſiæ Librum aliquem pro Canonico recipientis. *ibid.*

Evangelio Lucæ non traditio ſolùm aut Eccleſiæ ſuffragatur, ſed ipſa etiam Scriptura quæ non ſuffragatur aliis. 143
Evangelium ergo Lucæ magni faciendum eſt. 143
Et Lucas venerandis Academiæ Patribus imitandus. *ibid.*
Ad Rectorem Academiæ Dadinum Altaſſeram ſcriptis ſuis totâ Galliâ famoſum. 144
Ad Theologiæ Profeſſores. *ibid.*
Ad Profeſſores utriuſque juris. 145
Ad Medicinæ Profeſſores. *ibid.*
Ad Profeſſores Liberalium Artium. *ibid.*
Ad omnes Academiæ Alumnos. 146

---

## DE SEBASTIANO MARTYRE Academiæ Toloſanæ Patrono.

### CONCIO ACADEMICA.

*In quâ apparet quò pertineat Academiarum inſtitutio.*

PAuli eximia charitas in Philippenſes, quibus ſe unis coronat. 147
Argumentum concionis. Academia Toloſana pulcherrima Sebaſtiani corona. 148
Quo tandem fato Academiæ Toloſanæ Patronus obtigerit Sebaſtianus ſatis obſcurum eſt. 149
Patrocinii illius & clientelæ cauſa inveſtigatur *ibid.*
Datum eſt aliquid popularitati. 150
Quàm pulchrè Sebaſtiani caracteres exprimat Academia Toloſana. 151
Inſtituta in lumen populorum, contra ignoran-

tiam. 151
In defenſionem fidei, contra infidelitatem. *ibid.*
In Chriſtiani orbis exemplum contra morum depravationem. *ibid.*
Prima pars. Academia Toloſana inſtituta adversùs ignorantiam populorum. *ibid.*
Toloſa urbs antiquiſſima, & à primis temporibus famoſa. 152
Toloſates & Garumnii populi ingenii & doctrinæ laude inſignes ipsâ ætate Cæſarum, ſenſim degenerarunt. *ibid.*
Cauſa ignorantiæ multiplex. *ibid.*
Ex ignorantiâ infidelitas & depravatio morum. 153
Sebaſtiani precibus, ut piè creditur, Occitaniæ ſubventum eſt inſtitutione Academiæ Toloſanæ per Sanctum Ludovicum. *ibid.*
Quæ ab origine ſuâ & ab ipſo fundatore habet, ut & nobilis ſit, quæ indè ortum trahit, undè Regum noſtrorum familia totius orbis nobiliſſima propagata eſt. 154
Et ſancta, per eum fundata Regem, qui non ſolùm inter Reges ſanctus ſit, ſed inter ſanctos Rex & princeps aliquis ſanctorum. *ibid.*
Et generoſa, ab Rege nimirùm Heroe deſcendens. *ibid.*
Et Apoſtolica, ab Rege veniens Apoſtolo. 154
Remundi Toloſæ Comitis ſumptibus opportunè dotata, ut quidquid peccaverat, tam laudabili opere abundè expiaret. *ibid.*
Ad orbem Gallicum ſapientiâ illuminandum. *ibid.*
Ex Academiâ quanta lux Toloſæ palladiæ. 155
Quanta populis circumvicinis. *ibid.*
Quantus in Academiam Toloſanam auditorum concurſus. 156

Quantus Academiæ ſplendor. *ibid.*
Quantus honor Profeſſorum in ipſo etiam funere. *ibid.*
Et longè poſt funera. 157
Apparet in Cujacio. *ibid.*
In utroque Marano. *ibid.*
In Dadino Altaſſerra. *ibid.*
Academiæ Toloſanæ lux immortalis. 158
Nec lucentem modo ſapientiam diſpenſat Academia, ſed etiam irrigantem. *ibid.*
Comparatur fonti egredienti de medio paradiſi, & dividenti ſe in quatuor capita. *ibid.*
Terreſtris quidam paradiſus eſt Regio iſta Toloſatium. 159
Fons paradiſi Academia. *ibid.*
Quatuor capita fontis, quatuor Academiæ facultates. *ibid.*
Undè eſt omnis eruditio, & omne eruditorum genus. 159
Diſpenſat deniquè Academia ſapientiam locupletantem. 160
Ex quâ non ſpirituales ſolùm, ſed etiam mundanæ divitiæ, & dignitates ſeu politicæ, ſeu Eccleſiaſticæ proveniunt.
Secunda pars. Academia Toloſana inſtituta adversùs infidelitatem. 161
Duo ſunt fidei tempora. Unum pacis, alterum belli. In utroque cauſam fidei egregiè ſuſtinet Academia. *ibid.*
Tempore pacis, diligens eſt, in explicandâ, illuſtrandâ, & circumvallandâ fide. 162
Tempore belli, conſilia impiorum detegit, artes fallendi evacuat, Hæreſim confutat, Schiſmata reſarcit. *ibid.*

Hunc fidei ardorem inſpiravit Academiæ ſuæ fundator ipſe Ludovicus Rex ſanctiſſimus, quam ſcilicet voluit pro fide excubias agere contra Hæreſim Albigenſium. 162
Qualis fuerit Albigenſium Hæreſis. 163
Naſcentis Academiæ Zelum pro fide tuendâ ventilavit auxitque plurimùm ſanctus Dominicus Toloſatium Apoſtolus. 164
Nutrit hodiè fovetque Sanctus Thomas Doctor Angelicus. 165
Academia Toloſana Sancti Thomæ Academia eſt, idque duplici jure. *ibid.*
Et quia corpus habet Doctoris Angelici, & quia Spiritum. *ibid.*
Ardorem Academiæ ad ſummum provexit Maria Deipara ſemper Immaculata. 166
Zelus Academiæ pro immaculato Virginis Conceptu, de pietate Toloſatium deſcendit, & de illo imprimis nobili ſodalitio, quod omnium primùm in honorem B. Mariæ ſine labe conceptæ fuit inſtitutum. *ibid.*
Sodalitii illius amplificationem ab Honorio Pontifice impetravit Sanctus Dominicus. 167
Zeli Academici ſapientia, induſtria, & vis mirabilis apparet inſigniter in tribus. *ibid.*
1°. In Theologiâ ſincerè tradendâ. *ibid.*
Quanti Theologiâ Scholaſtica momenti ſit ad cauſam Religionis intelligi poteſt, tum ex ſenſu Pontificum. *ibid.*
Tum ex Hæreticorum convitiis; ab eo enim genere Hominum vituperari, laudari eſt. 168
Tum ex ipsâ notione Theologiæ Scholaſticæ, quæ eſt divinorum fidei dogmatum explicatio & ordinata defenſio. *ibid.*

Quàm ſincerè & accuratè tradatur Theologia Scholaſtica in Academiâ Toloſanâ argui poteſt, ex concurſu auditorum, ex Alumnorum progreſſu, ex famâ ipſius Academiæ. *ibid.*
2°. In prophanis hæreſum novitatibus coercencendis. 168
Academia pro muro objecta eſt Albigenſibus, & Calviniſtis. 169
Ex quo Academia Toloſæ fundata eſt, Hæreticos ferre Toloſa non potuit. *ibid.*
Contra omnes hæreſes pro palladio eſt. 170
3°. In Schiſmate ſedando, & fovendâ Eccleſiæ pace. *ibid.*
Controverſia Eugenium inter & Baſileenſes delata eſt ad Academiam Toloſanam, eique ab Eugenio ſimul & à Concilio magnificæ litteræ venerunt. 170
Horrendum Schiſma pluſquàm ſexaginta annorum. *ibid.*
Aſſervantur eæ litteræ in Archivo Academiæ. *ibid.*
Tertia pars. Academia Toloſana inſtituta contra morum depravationem. 171
Quo ſenſu juxta Hieronymum & Auguſtinum Apoſtoli dicuntur ſal terræ, eodem & Profeſſores Academici. *ibid.*
Quàm enim idonei ſint ad mores reformandos ſatis apparet ex ipsâ ſpecie Academiæ. 172
Commemoratur cooptatio Patrum Societatis Jesu in Academiam Toloſanam. 172
Nec ſine grati animi ſenſu, erga Ludovicum Magnum authorem iſtius cooptationis. *ibid.*
Erga ſapientiſſimum Academiæ Rectorem. *ibid.*
Erga Academiam Univerſam. 173

Cohortatio gratulatoria ad Academiam, & ſingulos Academiæ ordines. 174

---

# PRO REGE INCOLUMI ſeu ſoſpite LUDOVICO MAGNO.

## ORATIO GRATULATORIA.

QUàm optimè LUDOVICO MAGNO conveniat Davidis de gravi periculo emergentis modeſta confeſſio. 175
Ludovici Magni natalibus Soteria iſta reſpondent, & meritò quidem: 176
Quia redintegratio iſta Ludovici regeneratio quædam eſt, & ſecunda quædam nativitas priore melior. *ibid.*
In partem lætitiæ communis venit Academia Toloſana jure quodam præcipuo. 177
Tota enim Ludovicæa eſt, quippe quæ & Ludovico ſancto fundatore, & Ludovico Magno amplificatore gloriatur. *ibid.*
Et magnificentiâ ſingulari, cui nihil defuit niſi orator idoneus. 177
Sed in ejus delectu non tam habita eſt ratio majoris meriti, quàm debiti gravioris, *ibid.*
Ludovicus Magnus in ſingulis ætatibus novam laudis & gratulationis materiam ſuppeditat. 178.
Tot præludere victoriis debuit ad Calviniſmum totâ Galliâ eliminandum. 179
Quale & quantum opus. *ibid.*
Ludovici miracula ſingulis ætatibus diſtributa, ut haberent ſingulæ quod prædicarent. 180

Ut divinitas, ita dividenda majeſtas. *ibid.*
Materia præſentis gratulationis Ludovici Magni redintegratio. *ibid.*
Quæ duobus veluti extremis clauditur, infirmitate præteritâ, & incolumitate præſenti. 181
Ex uno Ludovici gloria, ex altero felicitas noſtra. *ibid.*
Prima pars gratulationis. Jacuit infirmus nuper Ludovicus in gloriam ſuam novam. *ibid.*
Victoribus ſolemne eſt pugnæ locum poſt victoriam reviſere. 181
Habent præterita pericula voluptatem ſuam, & memoria antiqui timoris condimentum eſt aliquod præſentis ſecuritatis. *ibid.*
Chriſtus nuſquàm magis probatus Deus, quàm in cruce. *ibid.*
Ludovici gloria eo perveniſſe credebatur, ut nec creſcere propter immenſitatem poſſet, nec propter ſoliditatem decreſcere. 182
Hoc unum tamen deeſſe videbatur, ut Chriſtianæ & Heroicæ patientiæ ſpecimen daret, tantò excellentius, quantò difficilius. *ibid.*
Noverat univerſus orbis quid poſſet agendo Ludovicus, ſed quid patiendo poſſet, neſciebat. 182
Quantum eſt Regem, & Regem magnum patientem eſſe. *ibid.*
Ut divinam authoritatem, ita & felicitatem æmulantur Reges. 183
Divinitatis opinionem ex vulnere perdidit Alexander. *ibid.*
Ludovicus Magnus ex vulnere acquiſivit, ſaltem ſi ex regulâ Tertulliani divinitas metienda eſt.

Eſt in patiendo divinitas aliqua. 183
Nam qui ſanctè & Chriſtianè patitur, ad Chriſti veri Dei ſimilitudinem accedit. *ibid.*
Quàm patiens fuerit Ludovicus, ſecurus & potens ſui, alieno periculo timens magis quàm ſuo. 184
Ludovici ægritudo non novam ſolùm virtutem in Heroe detexit, ſed aliis quoque virtutibus novum ſplendorem attulit. *ibid.*
Nuſquàm in Deum pietas ſolidior viſa eſt, quàm in Ludovico patiente. *ibid.*
Comparatur cum Idumæo illo Principe; quem Dei gloriæ currum triumphalem appellat Chryſoſtomus. 189
Nuſquàm in ſuos Paterna bonitas tenerior. 185
In ipsâ infirmitate Ludovicum ſenſit Gallia Ludovico meliorem. *ibid.*
Inter hæc nubila latere poteſt, ſed mundo negare officium aut à curſu retardari ſol non poteſt. 186
Nuſquàm in omnes authoritas regia ſanctior aut firmior viſa eſt. *ibid.*
Conſtat authoritas regia & amóre & timore populorum. 186
Ludovicus languens expertus eſt quantùm ametur. *ibid.*
Ad Ludovici Magni, ut ad ſolis labores, languere omnia viſa ſunt. 186
Expertus etiam eſt & quantùm timeatur, timetur enim etiàm languens. *ibid.*
Ludovicus, etiam cûm ſe ſubtrahit, ipsâ umbrâ ſuâ omnia continet. 187
Et quantùm poſſit ad reformationem morum, vitamque Chriſtianam à ſubditis exigendàm. *ibid.*

Sapientiſſimis legibus minùs ferè potuit, quàm infirmitate ſuâ. 188
Secunda pars. Reſurgit Ludovicus incolumis ad felicitatem publicam cumulandam. 189
Præſens Galliæ felicitas. *ibid.*
Quàm diverſus eſt à cætero orbe orbis Gallicus. *ibid.*
Si ex rerum geſtarum magnitudine Heroem æſtimemus, nemo Heroum plùs Ludovico vixit. 190
Si ex rerum gerendarum mole Herois vitam metiri velimus, parùm vixiſſe dicendus eſt. 191
Cumulus felicitatis publicæ partim religionis, partim politicæ, partim regiæ familiæ optimo ſtatu continetur. *ibid.*
Reſurgit Ludovicus incolumis, primò ad religionem firmandam, & ſummè amplificandam. 191
Magnum quidem opus eſt Gallia Catholica, ſeu Calviniſmus in Galliâ extinctùs. *ibid.*
Sed nondùm omni ex parte perfectum, nec perficiendum niſi qui cœpit ipſe Deus, & per Deum Ludovicus perficiat. 192
Ineptè garriunt moroſi quidam noſtrorum temporum cenſores, Calviniſmum adhùc ſupereſſe integrum. *ibid.*
Cur ita garriant. *ibid.*
Quæcumque vis adhibita eſt, nec tam dura fuit ut cogeret, & ſatis acris ut ad reditum ſtimularet. 192
Superſunt tamen & diſſimulatores aliqui detegendi, & infirmi in fide confirmandi. *ibid.*
Et profugi inſequendi, & obdurati frangendi, 193

Et circumvicini hæretici procul arcendi, totoque orbe exterminandi.
Ut ſtante ſole Iſraël Dei populus Amorrhæorum reliquias omnes delevit, ita ſtante Ludovico Eccleſia Catholica plenam de hoſtibus ſuis victoriam reportabit. 194
Secundò. Reſurgit Ludovicus incolumis ad rem politicam optimè diſponendam. 195
Ludovicus non politicus ſolùm, ſed politicorum emendator eſt. *ibid.*
Ad Imperii felicitatem faciunt, pacis firmitas, legum vigor, ſplendor artium, commercii facilitas. *ibid.*
Ludovico ſoſpite ſtabit pax non Galliæ ſolùm, ſed & Europæ totius. 196
In Ludovico Magno totus cohæret orbis Chriſtianus. *ibid.*
Procul à nobis erunt bella externa. *ibid.*
Bella civilia & cauſæ bellorum. 196
Regiam authoritatem Miniſtris ita communicat ut non dividat, Solis inſtar, qui ſtellis lucem ita partitur, ut ſibi totam ſervet. *ibid.*
Procul erit veterum duellorum furor, quo quidquid erat nobilis & puri ſanguinis temerè nimis & ſtultè fundebatur. 197
Pacem ſequetur & fovebit legum vigor. *ibid.*
Vigorem legum novus artium ſplendor excipiet. 198
Ad artium ſplendorem accedet commercii nova facilitas. 200
Et quæ ex commercio ſequitur opulentia. *ibid.*
Votum de Auguſto, quatenùs Ludovico conveniat. *ibid.*
Ludovicum habebimus multiplici nomine immortalem.

mortalem. 201
Tertiò reſurgit Ludovicus incolumis ad Heroicam Regiæ familiæ inſtitutionem. 201
Gloriæ domus Regiæ ſub Ludovico quanta ſit. *ib.*
Quantus Auguſtorum inſtitutor Ludovicus. *ibid.*
Votum pro Ludovico, pro ſereniſſimo Delphino, pro tenellis Principibus. 202
Tota gratulationis hodiernæ materia ſub uno aſpectu ponitur. *ibid.*
Quæ eſt eadem materia gratiarum actionis. 203
In ipſo æſtu felicitatis & lætitiæ communis eſt aliquis timori locus. 204
Votum & præſagium pro Ludovici incolumitate. *ibid.*

---

## DE PRÆCIPUO CARTESIANISMI Dogmate.

## *DISSERTATIO ACADEMICA.*

DE Brutorum formâ duæ extremæ ſententiæ 206
Una rationem in brutis agnoſcit. *ibid.*
Ita ſentiendi fuere cauſæ plures. *ibid.*
Prima. Grati animi religio quædam. *ibid.*
Secunda. Veſana quædam libido, & puerilis amor beſtiarum. 207
Tertia. Odium quoddam generis humani. *ibid.*
Quarta. In motibus brutorum obſervata ſimilitudo cum humanis motibus. *ibid.*
Altera ſententia de brutis mera Automata facit, omnem illis animam & vim ſentiendi negans. 208
Eò ventum eſt ſeu prioris ſententiæ odio. *ibid.*

Seu faſtidio Philoſophiæ veteris. *ibid.*
Seu politicâ quâdam. *ibid.*
Seu neceſſitate conſequentiæ ex principiis malè poſitis. *ibid.*
Contra hanc ſententiam non modò falſam, ſed omninò improbabilem diſſertatio inſtituitur in duas tributa partes. 209
Automatorum opinio non plùs debet parenti Carteſio, quàm Pardiæo illuſtratori. *ibid.*
In primâ parte demonſtratur quàm parùm habeat veriſimilitudinis ſententia Carteſii. *ibid.*
Brutorum mirabiles effectus vel probant ipſis ineſſe aliquem rationis uſum, vel certè hujus rei tantam ſuſpicionem ultrò ingerunt, vix ut intelligi poſſint ſine aliquo ratiocinio. 209
Placet errorem cum errore committere, ſpectante magis & ridente, quàm pugnante veritate. 210
Quidquid in brutis rationem arguit, arguit idem gradum aliquem cognitionis. *ibid.*
Via deveniendi ad medium eſt aliqualiter procedere versùs extremum. *ibid.*
Quoties oberrant oculis animantes, toties judicamus & vivere & ſentire illas, ac penè ratiocinari. 211
Quod autem omnibus primo ſtatim aſpectu videtur eſſe, profectò magnam habet veriſimilitudinem. *ibid.*
Iſta enim prænotio & anticipatio generalis, demonſtrationis loco eſſe poteſt. 211
Neque hic vulgi tantùm, ſed ipſorum ſapientum communis ſenſus eſſe. *ibid.*
Fundatus in operibus brutorum, in quibus tantum artis, conſilii & induſtriæ apparet, ut non

niſi à causâ cognoſcente fieri poſſint. *ibid.*
Operum in quibus plurimùm apparet artis, quærenda eſt cauſa cognoſcens etiam viro ſapienti. 212
Subſtantia ratiocinans, inter cæteros actus duos habet inſignes. *ibid.*
Primò, aliud ducit ex alio, quod eſt intellectûs. *ibid.*
Secundò, agit propter finem, quod eſt voluntatis. 213
Utrumque brutæ animantes habere videntur, ut conſtat aliquot exemplis, quorum vel nuda expoſitio, luculenta probatio eſt. *ibid.*
Apparet in corniculâ nucem in ſaxa deiiciente, donec repetitis ictibus nux ad cautem ſæpiùs alliſa frangatur. 213
In vulpe quærente aquam congelatam quâ tranſeat, aut pulices ſubtiliter mergente. *ibid.*
In Aſello quamtumvis ſtupido, mergente ſe, ad ſal, quo onuſtus erat; liquandum. 214
Apparet deniquè in corvo ſitibundo aggerente lapides ad attollendam aquam. 215
Aut in corvo illo urbano, qui Tiberium Cæſarem, Druſum Germanicum, & populum Romanum ſalutabat. *ibid.*
Habent brutæ animantes, aut habere videntur ſuum *Ergo* & ſuum *propter*. *ibid.*
Quod ſatis & glorioſè nimis evincunt communia & puſilla animalcula. 216
Natura nuſquam magis, quàm in minimis, tota eſt. *ibid.*
Sed ne ſe contemptas aut præteritas putent belluæ grandiores, in arenam deſcendet unus pro omnibus Elephas Cocincinenſis. *ibid.*

Rem narrat oculatus teſtis Chriſtophorus Borrius. ibid.
Demùm ne aut numero, aut mole corporum, aut peregrinitate pugnare videamur, dimiſsâ turbâ, unum producitur domeſticum ac familiare animal, ſeu paſſerculus, ſeu catellus. 217
Paſſerculi elegans deſcriptio. ibid.
Reſervato ad jocos paſſerculo, fit in Cane belluini ingenii Anatomia. 218
Paternum genus ducere creditur ab Romulido illo Cane, quem ferunt, Tiberii temporibus, Dominò ſuo fidelem fuiſſe ad miraculum uſquè & ſtuporem. ibid.
Maternum verò genus ab memorato Hieronymi Rorani Catello. ibid.
Affinitate attingere dicitur gemellos canes Cardinalis Sanſeverini. 218
Quæ ſit illius propria dexteritas. 219
Concluditur ſtare veriſimilitudinem contra Carteſium, & longè eſſe improbabilius bruta eſſe mera Automata, quàm ratiocinari. Quod erat demonſtrandum. ibid.
Secunda pars diſſertationis, in quâ demonſtratur ſententiam Carteſii abſolutè falſam eſſe, 220
Quia ſine formâ aliquâ cognoſcente haberi non poſſunt motus illi mirabiles quos in cane obſervamus. ibid.
Nam Deus eos motus non producit per ſe tamquam cauſa particularis. ibid.
Neque item fingere quis poteſt, Deum, quemadmodùm Cæleſtibus corporibus præfecit intelligentias, ita huic etiam cani, ſuum affixiſſe genium aſſiſtentem, qui terreſtre corpuſcu-

lum agitaret. 220
Ridicula & incredibilis eſt hæc ratio Philoſophandi. *ibid.*
Nec canis dici poteſt machina inanimis tam aptè compacta, ut ſeipſa movere poſſit adeò mirabiliter ſine ullâ cognitione. 220
Mira quidem eſt in artefactis induſtria hominum ut patet ex Jannelli Turriani novis machinationibus Carolum V. in ſuo ſeceſſu oblectantibus. 221
Ex Hydraulicis Italorum organis omnia imitantibus. *ibid.*
Ex Horologiis ipſis rotatis in ſingulas horas pulſantibus. 222
Adeò ut machina horologii apud Sinas ſonora quædam beſtiola reputaretur. *ibid.*
Atque hinc fit aliqua ſuſpicio, ne nos idem error circa animalia teneat, qui Sinenſes tenebat circa Horologium. *ibid.*
Machinæ artificioſæ immensùm differunt ab animatis ſeu naturalibus. 223
Nam 1°. Differunt perpetuitate motûs, quam non habent. *ibid.*
2°. Differunt ſubtilitate ac facilitate movendi ſe. *ibid.*
3°. Differunt ſerie quâdam & ordinatione motuum in unum finem ſpectantium. 223
Sed fortè concipi poteſt machina inanimata Catello per omnia ſimilis. *ibid.*
Ejuſmodi machina delineatur. *ibid.*
Ad novæ machinæ fabricam hæc omninò neceſſaria ſunt. *ibid.*
1°. Organum ſeu inſtrumentum motus. 223
2°. Subſtantia quædam mobilis, & apta mo-

vere organum. ibid.
3°. Quærendus eſt fons inexhauſtus talium ſpirituum. 224
4°. Opus eſt communi receptaculo, undè commodè fiat diſpenſatio ſpirituum. ibid.
5°. Requiritur cauſa diſpenſans halitus in cerebro receptos. ibid.
6°. Neceſſaria eſt cauſa determinans glandulam pinealem, ad Spiritus tam varié diſtribuendos. 224
Examinatur Machina Carteſiana quam delineavimus. 225
Ac tandem exploditur. ibid.
Opponunt Carteſiani plurimos in homine fieri motus independenter à cognitione motibus canis mirabiliores. 226
Quod probatur multis exemplis. ibid.
Sed ex eâ ipsâ oppoſitione validum ſumitur argumentum contra machinam Carteſianam. 226
Nam illi motus eſto ſine cognitione interdùm continuentur, ſequuntur tamen ad cognitionem & voluntatem, nec ſine cognitione & voluntate inchoantur etiam in Machinâ humani corporis, quanto minùs in machinâ Caninâ artificii imperfectioris. ibid.
Iiſdem penè verbis ridere licet inanimes animalium machinas, quibus falſos Gentilium Deos Propheta ridebat. ibid.
Probare vix poſſunt Carteſiani ſe Automata non eſſe. 227
Lepida in eo genere Hiſtoria. ibid.
Rixa fœminarum de Catellâ. ibid.
Et aulicorum de equo Caſtellano. 228

Ad duos Philoſophos, unum Ariſtotelicum, Carteſianum alterum devoluta. *ibid.*
Machina Carteſiana non modò humanam induſtriam ſuperat, ſed etiam divinam. 229
Quia omninò chimærica eſt, ut demonſtratur breviter aliquot argumentis ſeu principiis. *ibid.*
Primum principium. Cauſa neceſſaria, quæ completa ad operandum non operatur, chimæra eſt. 230
Secundum principium. Cauſa neceſſaria quæ nondùm completa ad operandum, tamen operatur, chimæra eſt. *ibid.*
Tertium principium. Machina quæ aliò tendit naturaliter, quàm quò trahitur, impellitur, aut determinatur, chimæra eſt. 231
Quartum principium. Machina quæ non eò movetur fortiùs, quò fortior eſt cauſa movens, cæteris paribus chimæra eſt. *ibid.*
Quintum ultimumque principium omnia complectens. Machina illa habenda eſt pro impoſſibili, quam clarè concipimus impoſſibilem eſſe ſpectatis animalium motibus. *ibid.*
Clauſula totius diſſertationis. 232

---

## STYLUS NATURÆ INDEX.

### DISSERTATIO ACADEMICA,

*In quâ traditur ars ſanè mirabilis authorem quemlibet ex ſtylo dignoſcendi & germanos ſcriptorum Libros ſecernendi ab adulterinis.*

VEteri Apollinis oraculo duo deeſſe videbantur. 233

Non placet homini, ita defigi in ſeſe ut ad alios mentis aciem non intendat. *ibid.*
Qui naturæ cognitionem præcepit, debuit idem Apollo viam monſtraſſe aliquam naturæ veſtigandæ. *ibid.*
Solet Deus ſua mortalibus oracula, Cæleſtis inſtar roris ſenſim inſtillare. 233
Quod deerat ſuppletur hodiè per phyſiognomiam Rhetoricam, ſeu per artem cognoſcendæ per ſtylum naturæ tum noſtræ, tum alienæ. 234
Quanta ſit excellentia iſtius phyſiognomiæ. *ibid.*
Diſtributio diſſertationis in tres partes. 235
Prima pars. In quâ demonſtratur ex ſtylo cognoſci poſſe naturam. *ibid.*
Stylus quid ſit. 235
Duo videntur eſſe in ſtylo, imaginandi vis, & verborum uſus contextuſque. *ibid.*
Nihil eſt quo ſe natura non prodat, obſervare naturam curioſè volenti. *ibid.*
Non deeſt homini feneſtratum pectus, quod Momus requirebat. *ibid.*
Captivus animus emittit interdùm aliquam partem ſui. 236
In tam multis ſe prodit natura, ut diſſimulari non poſſit. *ibid.*
Sed in nullâ re meliùs, quàm in ſtylo. 326
In aliis ludit natura, in ſtylum nervis omnibus ſe tota impendit. *ibid.*
Quanta ſit vis in manibus ad quemlibet motum animi exprimendum. *ibid.*
Comparatio ſtyli cum Aſtrologiâ, quæ, ſi quid habet probabilitatis, totum id à ſtylo duci quodammodò videtur. 23

Cum Chiromantiâ, quæ lineas manus & inciſuras tamquam levia quædam naturæ argumenta conſiderat. *ibid.*
Cum Metopoſcopiâ quæ in inſpectione frontis, totiuſque vultus contemplatione verſatur. 238
Quæ ad ſtylum pertinent omnia valent ad naturam exprimendam. *ibid.*
Quamobrem ita valeant. 240
Exercitamenta ſtyli ſtriatarum inſtar imaginum in receſſu naturam authoris exhibent. *ibid.*
Herodoti indoles, in quo novem Muſas invenias, Apollinem nullum. *ibid.*
Remiſſa illius dulciſque narratio fabuloſæ Hiſtoriæ ſuſpicionem præbuit. 241
Indoles Cornelii Taciti habetur ex ſtylo; in eo enim prodit ingenium durum, naturam iracundam, ſuſpicioſam nimis, & omnia ſiniſtrè interpretantem. *ibid.*
Indoles Famiani Stradæ in ſtylo apparet. 241
In eo bilis plurimùm, melancholiæ quantum ſatis, non illius quidem, quæ tetrica & moroſa eſt, ſed quæ ſoliditatem afferre ſolet ingenio. *ibid.*
Epiſtolæ ad colligandos abſentes mirificè valent. 242
Sunt qui velint miſſilibus Litteris committi ſpiritus, ut vocant, ſympathicos, qui ſimul ut reſignantur litteræ legentem trahunt ad abſentis amicitiam. *ibid.*
In Epiſtolis ut exteriùs apponitur ſigillum familiæ, ita interiùs per ſtylum ſcribentis imago delineatur. *ibid.*
Quanta ſit vis in Epiſtolis pro naturâ demon-

ſtrandâ inſigni exemplo illuſtratur. 243
Fraudes quæ in librorum authoribus mentiendis ſubrepunt multiplici viâ deteguntur; ſed nullâ re meliùs quàm ſtylo. 244
In Concilio Romano Gelaſio Pontifici, Patribuſque fuit ſtylus pro Lydio lapide. *ibid.*
Querela Athanaſii de ingenti librorum familiâ ſibi impoſitâ, quos ne de facie quidem noverat. *ibid.*
Philoponi cujuſdam, qui Synodum quartam Oecumenicam furtivo & anonymo libro damnabat, detecta aſtutia. 245
Probare idem poterit quiſquis artem iſtam divinandi ex ſtylo exercere voluerit. *ibid.*
Sive in ſacris ſcriptoribus. *ibid.*
Periculum fit in Tertulliano, cujus portentoſa ſeveritas, Afris caloribus aduſtum ingenium, & exſiccatum Montani jejuniis, vel ex unius recitatione periodi apparet. 245
In Hieronymo celerrimi ingenii & igneæ naturæ viro. *ibid.*
Læta eſt Auguſtini natura, plena ſanguinis, ubique ſcintillans: mitis & ſuavis Ambroſii: Gregorii temperata &c. 246
Sive in prophanis authoribus. *ibid.*
In Tullio emicat bilis plurimùm & ſanguinis. 247
In Demoſthene atræ bilis & flavæ commercium. *ibid.*
Totius gentis naturam ſtylus & lingua indicat. 247
Romanæ reipublicæ politica. *ibid.*
Id quod commune eſt alicui genti, communis lingua, quod cuique proprium, proprius

cujuſque ſtylus deſignat. 248
Stylus cum Horologio ſeu Phyſiologio Lugdunenſi comparatur. *ibid.*
Secunda pars diſſertationis. Undè petatur ſtylum inter & naturam tanta conſenſio. 249
Hujuſce rei triplex cauſa occurrit. 250
Prima, Phyſica eſt. *ibid.*
Tum ex vetere Philoſophiâ petita. *ibid.*
Sunt verba expreſſæ cogitationum imagines. *ibid.*
Somnia hominem luculentiùs produnt, quàm accuratiſſimæ vigiliæ. 250
Eſt hæc naturalis rerum ſeries, ut verba cogitationem, ſpiritus animales cogitatio, iſti naturam ſeu temperamentum conſequantur. 251
Tum ex Philoſophiâ novâ. *ibid.*
Elementorum corpuſcula, cùm per venas arteriaſque imbutas temperamento, evocentur undiquè ad cerebrum, neceſſe eſt, ut & ipſa quoque colorem temperamenti accipiant. 251
Comparantur aquis quæ per ſubterraneos canales derivantur. *ibid.*
Altera, Muſica eſt, ſeu ex principiis Muſicæ petita. 351
Styli diverſitas ex variâ humorum naturâ & temperatione proficiſcitur. 252
Melancholia graviter ſonat, bilis acutè, pituita & ſanguis temperatè. *ibid.*
Tertia cauſa faceta eſt, petita nimirùm ex fabellâ multiplici. 253
Diſſertationis tertia pars. In quâ phyſiognomiæ Rhetoricæ præcepta traduntur. 256
Primum præceptum. Stylum à ſtylo diſtinguere. *ibid.*

Dicendi genera ſunt penè infinita. 257
Secundum. Quam quiſque ſtylus naturam ſignet cognoſcere. 257
Quem ſtylum bilis habeat. *ibid.*
Quem ſanguineus humor. *ibid.*
Quis pituitæ ſtylus conveniat. 258
Quis melancholiæ. *ibid.*
Tertium. Cujus naturam quæris, ſtylum diligenter examinare. 259
Quo in examine attendi debet ſcribentis ætas & regio. *ibid.*
Suus ineſt cuilibet ætati color guſtuſque. *ibid.*
Valet ad mutandum ſtylum educatio. 259.
Intereſt, ut ſit ſtylus fidelis naturæ index, ne quis perturbatus vehementi affectu ſcribat, dicatve. *ibid.*
Natura, aquæ inſtar, ſi turbida eſt, imaginem nec recipit nec reddit. *ibid.*
Pictoris Hiſpani acutè dictum. 260
Quartum. In hoc genere phyſiognomiæ exercere ſe aſſiduè. *ibid.*
Tota diſſertatio clauditur, partim gratulando, tum Rhetoricæ, tum reipublicæ. 268
Partim exhortando ad iſtam phyſiognomiam exercendam.

*FINIS.*

BIBLIOTECA NA. ROMA VITTORIO EMANUELE

5-4